

Nun her Gottheit Pantana, wie Gott lob  
Dummer & langweil klein ist zu sein.  
S. Knoblauch Sammlungen zum Geschichts-  
alben sind mir von Freigklaudus. Leipzig. 1767. 8.

op Schwabe Dornburg.  
in d. Archiv. 8. Y. 4. Jg. f.



DE  
D E O  
T H O R O  
COMMENTATIO  
Q V A M  
E D I T  
I O . G O T T L O B . S A M . S C H W A B E

VINARIENSIS  
SANCTIOR. ET ELEGANTIOR. LITTERARVM  
CVLTOR, SOCIETATIS LATINAЕ, QVAE  
IENAE FLORET, COLL. ORDINARIUS



I E N A E  
S V M T V I O . C H R I S T O P H . S T R A V S S I I  
C I D I C I C I C I  
1767.



DEO  
THORO

COMMUNICATIO

GAIA

TITI

IO GOTTLOR SAM SCHABE

ANABERGIA  
GENOTIOR ET HINOKSITIOR TITELBERGIA  
CETIOR SOCIBATIA TATINER GAIA  
TENAE GLOTTI OBLIQUINARIA



IN N A E  
S A V I T A IO. E H R I S T O D I U S S T R A B A N I  
C I D I C C R A U I



PERILLVSTRI  
ATQVE MAGNITUDINE  
EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
**IOANNI FRIDERICO**  
**DE HENDRICH**

VILLARVM AHORNI, STEINII ET OBER-  
ETWITZII DOMINO HEREDITARIO, SE-  
RENISSIMI SAXONVM DVCIS VINARIEN-  
SIS ET ISENACENSIS SUPREMAE SACRAE  
CURIAE PRAESIDI LONGE SPLEN-  
DIDISSIMO

PERILLVSTRI  
AC  
**GENEROSISSIMO**  
**DOMINO**  
**FRANC. LVDOVICO**  
**L.B. DE REINBABEN**

ILLVSTR. REGIM. SAXO. VINARIENSIS  
ET ISENACENSIS PRAESIDI VICARIO  
SPLENDIDISSIMO SACRI SUPREMI  
SENATVS A CONSILIIS

PERILLAS TRI  
ITEM

MAGNIFICO, AC SVMME  
VENERABILI VIRO

SIGISMUNDO  
BASCHIO

SANCTIORIS DISCIPLINAE DOCTORI  
CELEBERRIMO, SERENISSIMI SAXONIAE  
DVCIS VINARIENSIS ET ISENACENSIS  
A CONSILII SACRIS ET PROTOSYNE-  
DRII, SACRORVM, QVAE IN AVLA, VRBE  
ET DVCATV VINARIENSI FIVNT, SVPRE-  
MO ANTISTITI, MERITIS CVMVLA-  
TISSIMO

PERILLAS TRI

MAECENATIBVS

ET

PATRONIS SVIS

SVMMA PIETATE COLENDIS

SPERILLAS TRI

SPERILLAS TRI



QVOTIES maxima VESTRA,  
VIRI SVMMI, ac numquam  
fatis laudata in rem publicam  
pariter ac rem litterariam merita in memo-  
riam reuoco, reuoco autem semper, toties  
in mentem mihi veniat necesse est, eos a  
vobis singulari quadam gratia atque be-  
nevolentia dignos iudicari, qui sese ad  
litteras, quae ad humanitatem spectant,  
referre, apud animum constituerunt.  
Quam ob rem, ex quo litterarum caussa  
huc veni, nihil prius, nihil antiquius  
mihi faciendum putaui, quam ut, quas  
artes ad humanitatem pertinere in-  
telligerem, ad eas, quam diligentissi-  
me fieri potest, incumberem. Ne-  
que etiam inconsulte hoc fecisse me,  
puto. Quid est enim praestantius stu-

A 3

dio

dio humanitatis? quid utilius? quid  
eruditio dignius? Spero igitur, fore,  
vt ne in malam accipiatis partem,  
quod **VOBIS** litteras hasce, ne satis  
latine quidem scriptas atque ab omni  
sermonis castitate remotas, et hanc  
commentationem qualemcumque con-  
sefrauem. Id enim **VOBIS** his lit-  
teris significare liceat, quod com-  
mentationem hanc **VOBIS** dedicae-  
rim, fecisse me eam potissimum ob-  
rationem, vt gratum meum in vos  
animum et maximam, qua vos ve-  
neror, pietatem publice **VOBIS** de-  
clararem et vt, me vitam academi-  
cam haud inutiliter agere, ostende-  
rem. Tantus enim est gratiae **VE-**  
**STRAE** in me ac benevolentiae cu-  
mulus, tanta est, quae in meo com-  
p. A  
tulistis

tulistis, beneficiorum magnitudo, ut  
essem omnium ingratissimus, si v o-  
BIS non pro summa VESTRA, quae  
in me exstat, humanitate gratias age-  
rem, quas possum quasque debeo,  
maximas. Accipiatis igitur vota, quae  
pro salute atque incolumitate VESTRA  
nuncupo. Faxis I deus ter optimus  
maximus, cuius nutu atque aufspi-  
ciis cuncta geruntur, vt, quaecum-  
que a VOBIS patriae ac litterarum  
caussa suscipiuntur, fauste, prospere  
feliciterque euéniant. Quam vero  
gloriam eruditione VESTRA, quae in  
VOBIS tanta est, quanta, quum sum-  
ma est, esse solet, et immortalibus  
VESTRIS in rem litterariam et patri-  
am optimam meritis consequuti estis,  
hanc, MAECENATES, deum VOBIS

A 4

for-

fortunare volo. De ceteris rebus si  
quid est, quod in votis habeo, hoc  
certissime esse, VOBIS velim persuadea-  
tis, ut me VESTRAE gratiae ac bene-  
uolentiae habeatis commendatissimum.  
Jenae, prid. id. aprilis. CCCCCLXVII.

AMICO VOTIS VOBIS VOTIS  
**VOBIS**

VIRI

PERILLVSTRES

ATQVE EXCELLENTISSIMI  
MAGNIFICE AC SVMME  
VENERABILIS

SVMMA PIETATE ADDICTISSIMVS

I. G. S. SCHWABE.

♦ A

NUPER



UPER aviro excellentissimo WAL-  
CHIO commentatio \*) exarata  
iuris publici facta est, in qua de  
deo TARANVCNO elegantissi-  
me pariter ac doctissime dis-  
seruit. Inter alia mentionem in ea fecit \*\*) dei  
THORI, quem eumdem cum TARANVCNO  
esse, non sine causa putat. Quum vero in  
doctissima commentarye celeberrimus au-  
tor ea tantummodo pertractauerit, quae ad  
explicationem arae, quae non procul a Sue-  
norū vrbe Heilbronna in vicino Beckingen-  
sium agro inuenta est, pertinere viderentur,  
haud quidem abs re fore arbitrii sumus, si  
in praesentia deo THORO, numine veter-  
um Germanorum longe celeberrimo, expo-  
neremus. Ut vero iis, quae tractantur, mo-  
dum quendam adhibeamus atque ordinem,  
primum de Celtis, a quibus cultus THORI

A 5 origi-

\*) edita, Ienae 1510      \*\*) commentatore cit.  
1556. p. 46.

originem traxisse videtur, verba facere, instituti ratio postulat.

## I

CELTAS esse nationem longe antiquissimam, vel mediocri antiquitatum scientia praeditus fateatur necesse est. Eos enim iam post diluvium domicilia sua in Asia et in regionibus, orientem versus sitis, habuisse, deinde autem nouas sibi sedes in occidente delegisse, res est, de qua viri doctissimi non valde dubitant. Tempus autem si forte quaeras, quo inclita haecce Celtarum migratio contigerit, fateor, ita latere omnia crassis circumfusa tenebris, ut ea de re nihil certi haberi possit. Neque enim historiae ornamenta, his temporibus litteris consignata, illius mentionem faciunt, neque alia antiquitatis monimenta supersunt, ex quibus hanc in rem quidquam efficere nobis licet. Quam ob causam conjecturas et fabulas commentitias silentio prae-termitto, quae in scriptis vel doctissimorum virorum continentur, et ea tantum in medium attulisse sufficiat, quae veritatis speciem praese ferre videntur. Primas sedes Celtae in Asia collocauerunt, deinde autem iis mutatis, in occidentem sensim sensimque se contulerunt, ubi Germanium, Galliam, Britanniam regionesque, ad mare adriaticum positas, sub suam redegerunt potestatem. Cuius quidem rei aliae atque aliae caussae fuisse videntur. Verissime autem iudicabimus,

mus, si adfirmamus, Celtas pristinas sedes ideo reliquise, partim ut molliorem caeli plagam quaererent, partim quoniam ab aliis populis depulsi, alio habitatum concedere cogebantur. Ac vero quidem simile esse videtur, Celtas, postea, quam prouincias, Caspium mare inter ac Pontum Euxinum sitas, transferant, per Poloniā ac Russiam in ceteras Europae prouincias venisse. Fuerunt quidem, qui eos ex Aegypto accerserent et colonos aegyptiacos in Germaniam missos esse, contendenter, ad **TACITVM** \*) prouocantes, qui partem Sueuorum Isidi, numini aegyptiaco, sacra fecisse dicat, in eorum autem sententiam discedi haud posse, ostendit **PELLOV-TIERIVS**, \*\*) qui ea quoque fuse percereret, quae de migratione Celtarum obseruanda videntur. \*\*\*)

## II

NVNC autem de religione Celtarum nobis dicendum est, de qua etsi multa tradere haud possimus, non solum ob tempora, a nostra memoria remotissima, verum etiam quoniam Druidae, a quibus sacra siebant, ea, quae ad religionem spectabant, Aegyptiorum more, quam diligentissime fieri poterat, occultabant; ex iis tamen, quae nobis supersunt, quid deo rebusque diuinis senserint, facili negotio poterit iudicari. Deum esse, qui totum terra-

\*) *German.* cap. 9. T. I. lib. I. cap. XIIII

\*\*) *histoire des Celtes* \*\*\* ) l. c.

terrarum orbem creauerit, qui omnia guber-  
net, regat ac moderetur, omnis Celtarum  
natio vno quasi ore confirmabat. Praeter  
hunc vero, quem *Theut*, siue *Teut* nuncu-  
pabant, complures alios deos, hoc dignitate  
inferiores, statuebant, quos materiae exper-  
tes adeoque  $\alpha\sigma\mu\alpha\tau\varsigma$  esse, et summa sapien-  
tia ac potentia, nullis limitibus circumscri-  
pta, gaudere putabant. Atque eos quidem  
*intelligentias animales* adpellabant, eam ob-  
caussam productas, ut cum materia coniunge-  
rentur illique vitam et salutarem spiritum  
praeberent. Quas quoniam ex supremi  
numinis imperio pendere credebant, a quo  
potentiam acciperent, iis parendum esse arbit-  
rabantur, quae fuit ratio, ut eos tamquam  
deos inferiores colerent ac de rebus futuris  
consulerent. Inprimis quatuor rerum initia,  
quae, ut e graeco vertam, *elementa* vocan-  
tur, summa religione coluisse legimus. Ete-  
nim sibi persuadebant, haec esse deorum ima-  
gines. Sic vero aquam celeritatis, ignem  
autem in finitae virtutis  $\sigma\gamma\mu\beta\omega\lambda\varsigma$  esse existi-  
mabant. Quid? quod relatum legimus, eos  
non tantum aquae hostias obtulisse, dum eas  
in fluuios proliiciebant, sed etiam igni  
sacra fecisse, quum illum sacrificiis alerent,  
dicentes: *comede o domine*, et quae sunt hu-  
ius generis alia. Scythaes, quo nomine ini-  
tio omnes Celtae comprehendebuntur, \*)  
venerati sunt Vestam, Iouem, Apollinem,  
Ter-

\*) PELLOV TIER *bif. des Celtes* T. I. lib. I. cap. I.

Terram, Martem, Herculem atque Neptunum, quibus diis autem ipsorum lingua alia nomina imposuerunt. Vesta enim dicebatur *Tabiti*, id est, ignis: Terra, *Apia*: Neptunus, *Thamimafades*, qui aquae praefuit: Iupiter, *Papaeus*: Apollo, *Oetosyru*s, quo nomine solem coluisse videntur. Non solum autem initii rerum, quae *elementa* vocant, verum etiam iis, quae ex eorum permisitione oriuntur, cultum eos exhibuisse constat. Maximi enim aeris motus caelique mutationes, mirabiles ac horrendi procellarum, tempestatum, fulguris atque tonitru effectus eos in opinionem adduxerunt, aerem magna *intelligentiarum animalium* multitudine esse repletum. Quas quoniam aliquid de rebus humanis statuere posse credebant, eas summa obseruantia colendas esse iudicabant. Aque etiam legere memini, Celtas per aerem vaticinatos esse et omina, quae, quum caelum contremisceret, capiebant, quam studiosissime attendisse. Praeterea per ventum iurabant, cum quod vitam humanam ex aere pendere putabant, tum quia vetus apud ipsos erat opinio, *intelligentias aerias* hominibus scientia longe antecellere. Nec vero cui forte mirum videbitur, aeri eiusmodi cultum fuisse praestitum, quum illius ratio ea fuerit, ut temperatione caeli fruerentur, quae dici non potest, quantam in rerum natura adferat utilitatem. Ab eorum doctrinis, de quibus iamiam diximus, complures

plures aliae tamquam ex fonte fluebant.  
Quum enim deos *άωμάτοις* esse cognitum  
haberent atque perspectum, eorum imagines  
ex materia quadam fingendas ac formandas  
esse negabant. Etsi enim, Celtas eorumque  
posteros subsequenti tempore statuas ac figu-  
ras pro diis habuisse, libentissime fateor; eam  
tamen deos colendi rationem ad antiquissi-  
mam Celtarum religionem, de qua nobis ser-  
mo est, referri haud posse arbitror. Neque  
etiam diis templa exstrui patiebantur. Nam-  
que stultum ipsis videbatur, deos in templo  
includere, cum propter mortalium imbecilli-  
tatem, tum quia, deos vniuersum mundum  
complecti, statuebant. Quibus rebus factum  
est, ut aliorum templorum, si qua forte inueni-  
reantur, funditus delerent atque conuentus  
sacros sub dio haud procul a fluuiis, fontibus,  
aut arboribus celebrarent. Religiosissime de-  
nique summaque pietate caerimonias ferua-  
runt, adeo quidem, ut per longam seculo-  
rum seriem nihil de iis fuerit immutatum.  
Quo factum est, ut si regione quadam poti-  
rentur, religionem tollerent eosque acerbissi-  
mis adficerent suppliciis, qui aliena supersti-  
tione alios imbuere conarentur. Haec erant  
fere, quae de Celtis eorumque religione no-  
tanda duxi. Evidem fateor, alia atque alia  
hanc in rem paullo fusius dici testimoniisque  
confirmari potuisse, hoc labore autem tanto  
magis supersedere possim, quo plura ad  
*εκπονού* nostrum haud videntur esse necessa-  
ria.

ria. Omnia, quae hic breuiter dixi, illustrat doctissimus PELLOVIERIVS \*) quem in hac de Celtis enarratione sequutus sum.

## III

VENIO nunc ad Thorum, de quo in hac commentatione agere apud animum constitui, et ante omnia, quis Thorus ille fuerit, quaeri mihi posse videtur. Fuit autem antiquissimus aequa ac celeberrimus deus, quo primum Celtae, deinde vero omnes fere populi, a Celtis oriundi, Iouem tonantem Romano-rum coluisse videntur. Quod cur adfirmemus, haud vnam rationem esse arbitramur, qua de re autem infra plura dicendi erit occasio. Thorum nostrum diuersis nominibus fuisse adpellatum, ex antiquitatis monumentis sat superque constat. Dictus enim fuit Tanarus, vti ex inscriptione sponii \*\*) adparet:

I. O. M. TANARO

T. ELVPIER GALER

PRAESENS GVNA

PRI LEG. XX. V. V.

COMMODO ET

LATERANO

COSS.

V. S. L. M.

Cele-

\*) *histoires des Celtes* T. I. ligione Celtarum vide lib. I. cap. XIII. et T. II. Tom. II.  
lib. III. cap. II. III. IIII. \*\*\*) miscell. erudit. antiquit. p. 74. n. 5.

Celeberrimus SPONIUS in suis ad hanc inscriptionem adnotationibus hunc Tanarum cum Ioue Tarane Gallorum, de quo LVCA-  
NVS \*) loquitur, et tonante Latinorum vnum idemque esse adfirmsat ac simul recte obseruat, vocabulum *Tonar*, seu *Taran* in lingua britan-  
uica *tonitru* significare, Taranum autem, seu Tanarum non solum apud europaeos, sed etiam asiaticos Celtas nomen Iouis fuisse, qui postea diuersis veterum linguarum ex celtica dialectis *Thoron*, *Dondar*, *Thondar*, *Tonar*, *Donnar* et *Tonar* fuerit appellatus. Quam quidem sententiam, argumentis haud contemnendis munitam, CLVVERIVS \*\*) atque alii amplectuntur. Atque ea in re viri doctissimi recte mihi sentire videntur. Supra enim diximus, Celtas in ære deum quemdam statuisse, qui illi praefideret, et a quo omnes aeris mutationes, venti, tempestates, in primis fulgur ac tonitru excitarentur. Ac nostra quidem sententia hic deus aerius, quem Celtae summa pietate coluerunt, non aliis, quam Thorus noster, seu Taran ac Taran fuisse videtur. Quum enim omnes Germani et populi, septentrionales, a Celtis oriundi, Thorum venerati sint, vt infra monstrabimus, non sine caufa a nobis contendti posse putamus, Celtas cultum Taranum, seu *Tanari*, quem postea Thorum vocarunt, ex Asia in Europam intulisse et vt deum,

\*) pharsal. lib. I. v.  
446. \*\*) Geim. antiqu. lib.  
I. cap. 26.

deum, qui äeri, in primis tonitruii praefit, coluisse. Neque vero, inconsulte hoc dixisse nos, arbitramur, quum certissimum sit, vnum eumdemque deum saepe diuersa nomina accepisse. Id quod, ne desit exemplum, illustrare nobis liceat. Constat inter omnes, hunc deum, quem olim Iudei, aut יהוה vocarunt, eumdem nostrates philosophos adpellare *ens a se*, neminem autem vnamquam vidi, qui deum nostrae religioni addictorum ac deum, a Iudeis cultum, diuersos esse existimaret: quod quidem, nisi superfluum esset, pluribus exemplis ex historia cum Graecorum, tum Romanorum posset illustrari. Immo vero accedit etiam hoc, quod, si quis sententiam nostram infringeret, haud facile intelligi possit, qui factum sit, vt, quum tutum exploratumque sit, maiores nostros esse Celtarum colonos, cultus Thori in tot regiones peruererit. Quae quum ita sint, haud absurdum esse videtur, contendere, asiaticos Celtas Thoro primum in Asia, deinde etiam in Europa cultum exhibuisse religiosum. Thorus adpellatus quoque fuit Taranucus, vti docet in scriptio Sponii: \*)

IOVI. O. M.  
TARANUCO  
ARRIA SVCESSA  
V. S.

B In-

\*) misc. erud. antiquit. p. 73. n. 4.

Inscriptionem nostram a priori esse diuersam, neminem non facilis negotio statuo posse perspicere. In ea enim non tantum est quedam litterarum *μετάθεσις*, verum etiam terminationem auctam esse videmus. Quem ad modum autem ex *Tanar*, *Taran* et ex *Taran*, *Taranucus* factum sit, doctissime *WALCHIUS* \*) in commentatione laudata monstrauit. In caussam inquirunt viri doctissimi \*\*) , cur Iupiter ita dictus fuerit, quae de re autem inter ipsos est dissensio. Alii enim, id eam ob caussam factum esse, sibi persuadent, quoniam Taranus non aliis sit, quam *Taranis LVCANI*, \*\*\*) quo nomine Galli Ioui optimo maximo cultum exhibuerint; alii e contrario, Taranucum id denotare, adfirmaut, quod Iupiter tonans apud Romanos fuerit, caussam interponentes, vocabulum *Taran* in regionibus Britanniae australibus tonitru significare. Sed non est, quod ea de re disceptemus. Infraenim ostendemus, Tarane *LVCANI* etiam nihil aliud, quam tonitru indicari. A populis septentrionalibus Thoro diuersa nomina data fuerunt. Commune autem nomen, quod omnes Germaniae populi deo tonitru imposuerunt, fuit *Thor*. Praeter hoc vero pro diuersitate dialectorum Thorus quoque diuersa accepit nomia. Alii enim eum adpellarunt *Tor*, alii *Tar*,

3. V.

\*) p. 16 - 21.

\*\*) *SPONIUS* l. c.

\*\*\*) l. c.

*Tar*, alii *Tbur*\*). **SAGITTARIUS** quidem \*\*) *Tyr* ad hunc numerum refert, hinc autem esse excipiendum, docet *Edda*, \*\*\*) vbi *Tyr* quemdam Asarum deum eumque omnium audacissimum fuisse dicitur. Thorum igitur intelligi haud posse, quis est, qui non videat? Dic̄tus quoque fuit *Torstan*, vti hoc ex antiquitatis monumentis \*) patet. Neque vero nominis Thori mentionem intermittemus, quo olim appellatum fuisse, ara, nuper haud procul ab vrbe Heilbronna effossa, confirmat, cuius quidem inscriptio haec est:

DEO  
TARANVCNO  
VERATIVS  
PRIMVS  
EX IVSSV

Figuram arae vbi quis nosse cupit, adeat ille celeberrimum **WALCHIVM**, \*\*) in cuius doctissimo libro eam videbit expressam. Non solum autem auctor modum ostendit, \*\*\*) quo vocabulum Taranucus in Taranucnus mutatum fuerit, verum etiam de Veratio, qui aram posuit, de occasione arae positae et de compluribus aliis rebus, ad antiquitates pertinentibus, differuit, ad quae, ne ea in re iusto longiores simus, lectorem ablegamus.

B 2

III

- \*) de quibus vide **SAGITTARIUM** antiquit. regni *Thur.* lib. 1. cap. 3. \*\*) l.c. #\*) *Myth.* 23. #\*) **ADAMVS**
- MENSIS lib. II. cap. XXXXIV.  
comment. de deo Taranucno. p. 48 - 54.  
BR

## III

HAEC de nominibus Thori. Sequitur, vt Thorum non alium, quam Iouem tonantem fuisse, probandum in nos suscipiamus, quo facilius ea, quae veteres Thoro tribuerunt, possint diiudicari. Tanto autem magis spero, fore, vt huic sententiae quisquam adsentiatur, quo magis hoc non sine magna veritatis specie potest probari. Quod vt faciant viri doctissimi, ad LVCANVM \*) potissimum prouocant, apud quem haec occurrunt:

*Theutates borrensque feris altaribus Efus  
Et TARANIS. Scythicae non mitior ara  
Dianae*

ac Thorum, seu Taranem Iouem fuisse, ita probant, vt *Tanar*, seu *Taran* apud Celtas tonitru significasse, monstrant, quod quidem celticum vocabulum non solum ex celtica lingua in germanicam, verum etiam cum Celtis in antiquam britannicam et alias linguas migrauerit. Ethoc quidem verissimum est, apud eos, qui hodie antiqua lingua britannica vtuntur, *tanara* significare tonitru. Immo vero dictio[n]arium cambro-britannicum, vocabulum *tanar* tonitru reddi, confirmat \*\*). Sed sententiam nostram vel hoc reddit probabilem, quoniam ἐπιθέτος *tanar*, seu tonans, quod in inscriptionibus, a nobis adlatis, Ioui

optimo

\*) pharsal. lib. I. v. 446.

ment. cit. p. 18 - 21.

\*\*) de his, quae diximus, vide IAC. SPO-  
NIVM misc. erud. antiquit. p. 74. WALCHIVM com-

HACHENBERGIVM  
diff. VIII. §. 12. BO-  
CHARTVM in Phaleg et  
Canaan lib. I. cap. 42.

optimo maximo tributum fuit, ab effectu erat desumptum, cuius auctorem veteres Thorum esse putabant. Namque olim haec fuit opinio non solum Celtarum, sed etiam omnium fere antiquissimorum populorum, ut quidquid a natura efficeretur, id omne imperio atque auspiciis numinis cuiusdam fieret, quod rei illi praesideret, et omnia pro hominum statu et conditione sapienter gubernaret ac moderaretur \*). Quemadmodum igitur Romani louem tonantem, quem Graeci Βεοντάοι nuncupant, tonitru et fulminibus praeesse putauerunt; sic quoque apud eos, qui Thorum coluerunt, fuisse, ex sequentibus patebit. Vnicum tantum, testimonium ad hanc rem stabilendam iam adduxisse sufficiat.

**ADAMVS BREMENSIS** haec de populis septemtrionalibus, in primis de Suecis memoriae prodidit \*\*): *Thor, inquiunt, praesidet in ære, qui tonitrus et fulmina, ventos imbruesque, serena et fruges gubernat, ac paucis interiectis: Thor cum sceptro Iovem exprimere videtur.* Ea autem puto ita esse comparata, ut omnia optime cum loue tonante conueniant, adeo, ut de huius rei veritate vix dubitari possit, praecipue, si argumentis, haec tenus adlatis, ea addantur, quae ex ipsa dierum configuratione eorumque apud veteres Germanos adpellatione desumpta sunt.

B 3

Qui

- \* ) fuse hoc demonstravit **PELLOVIERIUS** l. c. tom. II, lib. III, cap. 4. confer. **WALCHIUS**
- 1. c. p. 36. sqq.
- \*\*) vide **HACHENBERGIVM** Germ. med. diff. VIII. §. 12.

Qui vti singulis ἐβδόμαδος diebus singulari deo sacra fecerunt; ita, eos Thoro quinto quoque die sacrificasse, legimus, qui eam ob causam *Thorsdag*, *Tanarsdag* ac *Thorensdag* dictus fuit et vnde postea nostrum *Donnerstag* factum esse videtur \*). Quum enim a *a Taran*, *Thor* \*\*) et a *Thor*, *Thorsdag* fuerit profectum, hoc, ni fallimur, haud obscure indicat, Romanorum iouem tonantem Germanorum esse Thorum, seu Tanarum. Iis, quae antea diximus, diuersae quoque dialecti, apud diuersas nationes hodie adhuc visitatae, respondent. Angli enim id, quod nobis est *Donnerstag*, vocant *Thorsday*, Dani autem *Thorsdag* \*\*\*). A *Taran* dicitur *Donner*, vnde diuersae ortae sunt dialecti, nimirum *Donder*, quo ii, qui circa Rhenum incolunt, vtuntur, *Thunder*, quod ab Anglis in Britannia, et *Torden*, quod a Germanis septentrionalibus usurpatur \*). Quae omnia vbi rite inter se comparantur, clarissima dant indicia, sententiam eorum argumentis niti idoneis, qui Thorum iouem tonantem fuisse adseuerant. De ceteris rebus alia atque alia in sequentibus adiiciemus, quae sententiae nostrae confirmandae inseruiunt.

- V
- \*<sup>o</sup>) ARNIELIUS *Cim- vs l. c.  
brische Heyden Religion cap.*      \*\*\*<sup>o</sup>) CLVVERIUS *lib.  
xi. §. i. confer. WAL- cit. lib. i. cap. 26.  
CHIVS l. c. p. 40.*      \*) SPONIUS *misc. erud.  
\*\*) HACHENBERGI antiquit. p. 74. n. 5.*

**V**IPS COMMENTATIO ad V. lib. I. cap. II. in I.

ETSI vero, Thorum in tota Germania, Gallia ac Britannia cultum fuisse, probari potest; eius tamen cultum praesertim ad Germanos septemtrionales spectasse, extra omnem dubitationem mihi positum esse videtur. De illius igitur origine in regionibus, ad septemtrionem vergentibus, differendum nobis est. Ad praeципuas εἰδωλολατρείας caussas a viris, eruditionis ac doctrinae laude conspicuis, vel haec refertur, quod saepe acciderit, ut homines, qui cum ob rerum gestarum magnitudinem, tum propter summa in rem publicam merita magnam adepti erant gloriam, post mortem diui habiti, religiosissime colerentur. Ac sic quoque apud populos septemtrionales comparatum fuisse traditur. HACHENBERGIVS \*) enim probat, hanc superstitionem in primis in regionibus, ad septemtrionem pertinentibus, usq; venisse, cui sententiae IOANNES MAGNVS \*\*) adseruntur, eamque rem pluribus exemplis confirmat. Inter alia id cum Odino ac Thoro factum fuisse dicit, qui quum artibus magicis aliisque rebus gestis, quae prorsus mirabiles viderentur, plebi persuasissent, sibi interesse aliquid diuini, post mortem ut dii fuerint culti. Quae quidem res digna mihi esse videntur, in quam paullo adcuratus inquiram.

B 4

Fuit

\*) Germ. med. diff. VIII.  
p. 195.

\*\*) Gotbor. Sueonumque  
bifl. lib. 1. cap. VIIII. sqq.

Fuit Odinus \*) rei bellicae peritissimus, qui quum magnis cum copiis in regiones septentrionales venisset, incolis sub suam potestatem redactis, imperii fasces suscepit, cui posta filius Thorus, qui nomen a *Taran* accepit, successit. De tempore autem, quo id acciderit, inter doctos minime conuenit. STEPHANIVS \*\*) enim ex testimoniiis comprobare studet, populos asiaticos duce Odino XXIIII. annis ante natum seruatorem nostrum in eas regiones inuasisse, huic vero contradicit ARNIELIVS \*\*\*) et magis probabile esse adfirmat, id aliquot secula ante natalitia christi factum esse, eo tempore, quo rex Danus in Dania regnare coeperit. Quod quidem ARNIELIVS non sine causa contendere nobis videtur. Neque etiam id satis liquere puto, vtrum Odinus ex Asia, an vero ex alia quacumque Germaniae prouincia venerit. Res utrum sit, de hoc tamen dubitari nequit, Odinum ac Thorum ob rationes, a nobis supra dictas, quum vitam cum morte commutassent, ad deorum numerum adscriptos et pro diis postea fuisse habitos. Namque in antiquitatis monumentis *Thor* et *Odin* praesertim commemorantur, qui beneficiis suis, artibus magicis atque aliis rebus, in bello gestis, ad summos diuinitatis honores adscen-

\*) de eius rebus gestis Dan. Saxonis Grammatico  
fuse differit ARNIELI- p. 41.  
vs Cimbrische HeydenRe- \*\*\*) Cimbrisch Heyden-  
ligion cap. x. § 4. thum cap. 2. §. 13.

\*\*) not. in lib. vi. bifi.

scenderint. \*) Neque etiam exempla desunt, quae id, quod diximus, cum aliis viris, qui magnam apud veteres Germanos consequuti fuerunt gloriam, factum esse docent \*\*).

## VI

**P**OST QVAM originem Thori apud populos septemtrionales explicauimus, iamiam inuestigemus necesse est, quodnam diuinum opus veteres Thoro tribuerint. Quum Thorum Iouem tonantem esse existimarent, vt ex praecedentibus constat, nemo mirabitur, eos ab eo id exspectasse, quod ad illius imperium pertinere videbatur. Quam ob causam eum inuocabant, vt iusto tempore pluviam immitteret ac, si necessarium esset, caelum serenum esse iuberet: vt ipsis ea, quae ad temperationem caeli et agrorum fertilitatem requirebantur, largiretur: vt damna denique ac detrimenta, si qua forte tonitru, fulgere, grandine, ventis atque aliis tempestibus ipsis contraherentur, auerteret \*\*\*). Aliud **A**DAMI **B**REMENSIS hac de re testimonium iam supra, quum de Ioue tonante ageremus, dedimus. Digna est, quae hoc loco notetur, veterum Germanorum consuetudo, quam, quum fulgura ac tonitrua exsisterent, seruarunt \*). Quae enim vbi exo-

B 5 riri

\*) HACHENBERGI- VS bfl. Suec. lib. 1. cap. 1.  
vs l. c. p. 196. \*) OLAVS MAONVS

\*\*) IDEM p. 183. lib. III. cap. 8. confer.  
et 184. ARNKIELIVS l. c. cap.

\*\*\*) ERICVS OLA- 23. §. I.

riri videbant, *malleis*, quos *Iouiales* dicebant, ferire iisque maximum strepitum ciere coeperunt. Quod vt facerent his potissimum caussis impellebantur, quoniam alios deos in Thorum impetum facere credebant, cui, si malleis ferirent, auxilium praestare posse putabant. Tela quoque in aerem miserunt aciemque instruxerunt, quo facilius deo suo, ab aliis diis oppresso, subuenirent. Ritus ille, teste *OLAO MAGNO*, \*) durauit vsque ad annum *CIOCX XXX*, quo Magnus, rex Sueciae, eum vetuit.

## VII

QVM de diuinis Thori operibus verba feci, haud abs re fore putaui, si nunc diuersas formas ac figuram commemorarem, quibus veteres Thorum repraesentauerunt. Ita enim plerumque deorum formas fecerunt, vt in iis repraesentandis similitudinem quamdam ex iis, quae ipsis tribuebantur, ducerent. Antiquissimi Celtae nullas deorum formas effinxerunt. Quum enim illos  $\alpha\sigma\omega\mu\alpha\tau\gamma$  esse crederent, id ipsum eorum naturae repugnare videbatur. Subsequentibus tamen temporibus supersticio, per omnes gentes, verorum sacrorum expertes, fusā, Celtarum animos quoque oppressit. Quo factum est, vt a saniori doctrina aberrarent ac diuersas deorum figuram formarent. Sic enim relatum legimus, imaginem Iouis apud Celtas quercum fuisse altissi-

\*) l. c.

altissimam, cuius quidem rei MAXIMVM TY-  
RIVM \*) testem habemus locupletissimum.  
Etenim queru maiores nostri nihil sanctius  
esse voluerunt. Quanta religione autem  
hanc arborem coluerint, vel ex hoc AVEN-  
TINI \*\*) testimonio colligi potest: *nihil*,  
inquit, *sacratius queru maiores nostri ba-*  
*buerunt, nulla sacra sine huius arboris fron-*  
*de confecere, sacrificiis epulisque rite sub hac*  
*arbore perpatratis, deos adprecati sunt. Viscum*  
*eius e caelo missum putarunt signumque esse*  
*a deo electae arboris, omnia sanantem, suo*  
*vocabulo appellantes, contra venena omnia*  
*esse remedio.* AVENTINVS hoc loco de ritu  
exponit, quo veteres Germani quercus diis  
confecrauerint, iis autem, quae dixit, haec  
addenda sunt. Diis vbi lucum, aut quer-  
cum sacram esse voluerunt, sacerdos, qui sa-  
cris praefuit, magnae altitudinis et iustae  
proceritatis quercum delegit, et in illius cor-  
tice vocabulum *Tau*, aut, vt aliis videtur, lit-  
teram T. ac nomina *Hesus*, *Thor* atque *Bele-*  
*nus* insculpsit. Quae cum sacrificiis factis  
rite essent peracta, eiusmodi arbor deo cui-  
dam vel sacra fuit, vel etiam deus appellata  
est \*\*\*). Saepius in antiquitatis monimen-  
tis eiusmodi quercus nominantur\*). Ita enim  
in

\*) differt. 38.

\*\*\*) SCHEDIVS de

\*\*) annal. Boior. lib. III. diis Germanis cap. 24.

confer. HACHENBERG \*) ARNIELIVS l. c.

GIVS German. med. diff. cap. 30. §. 10.

VIII. p. 199.

in Hassorum luco fuit alta quercus Geismari,  
quae louis quercus adpellabatur, quam ado-  
rabant et quam numquam excindi posse pu-  
tabant, quod vero Bonifacius, quum Hassis  
salutarem doctrinam adnuntiaret, fecisse di-  
citur. Non vero quercubus tantum, sed aliis  
quoque figuris Thorum expresserunt. In  
STEPHANIO \*) sedens effingitur Odinum in-  
ter ac Friggam, seu Freyam, qui iuxta eum  
stant, duodecim stellis, toga cincta induitus,  
corona ornatus, altera manu sceptrum, altera  
autem fulmen tenens. In aliis quidem anti-  
quitatis monumentis fulmen, quod Thorus  
altera manu tenet, non reperitur, ceterum  
autem cum ea figura conuenit, quam modo  
descripsimus. Dignum praeterea est, quod  
hoc loco notetur, veteres semper Thoro, in-  
ter reliquos deos sedenti, puluinar substrauisse,  
ut magis placide quiesceret \*\*). Ad duode-  
cim stellas quod attinet, iis vel duodecim anni  
menses, vel signa caelestia indicari de-  
bent, corona autem maiestatem, et sceptrum  
imperium denotare videtur \*\*\*). Alii econ-  
trario Thorum septem stellis repraesentauen-  
runt, teste ERICO OLAO \*) qui haec memo-  
riae prodidit: *THOR tamquam potentissimus  
et summus deorum in medio et aliis altior re-  
side-*

\*) not. ad Saxonis Gram-  
matici hist. Dan. p. 139.  
confer. OLAVS MAGNVS

lib. III. cap. 3.

\*\*) NERRETERVS In-  
den und Heyden Tempel p. 955

\*\*\* ARNKIELIUS  
I. c. cap. IO. §. 3.

\*\*) hist. Suec. lib. I.  
cap. 1.

*s*idebat, *imagine viri nudi*, *dextra quidem sceptrum*, *sinistra vero septem stellas praferentis, insignis.* Atque etiam sunt viri doctissimi, qui septem stellis septem planetas, vel septem εβδόμαδες dies significari existimant \*). De malleo, quem Thorus interdum scepti loco tenuit, infra ageamus. Praeter eas, quas nominauimus figurās, modo Thorum effinxerunt, ut puerum nudum, in curru sedentem, modo ut puerum, vestibus ornatum, quae vero figurae minus vſitatae fuisse videntur \*\*). Eas autem figurās, quot nimirū ex antiquitatis monumentis erui potuerunt, non sine magna veri specie probare, Thorum esse Iouem tonantem, neminem fore arbitror, quin facilis negotio videat.

## VIII

DE cultu Thori religioso ut nunc agam, ordinis ratio postulat. Qua quidem in re ut lectori faciam satis, haud immerito quaeri mihi posse videtur, quibus in locis id factū fuerit. Antiquissimis Celtarum temporibus sacra sub dio haud procul a fluuiis, fontibus, aut arboribus fuere peracta. Neque enim Celtae templa exstruxerunt, neque aedificari passi sunt, quemadmodum huius rei rationem supra monstrauimus. Quam quidem rem TACITVS \*\*\* quoque confirmat, quum, eos parietibus deos non cohibere, testatur. Deinde vero

\* ) ARNIELIVS l. c.

\*\*) NERRETERVS l. c. p. 957.

\*\*\*) Germ. cap. 9.

vero, quum Celtae atque maiores nostri aliorum populorum more templa facerent, res aliter cedere coepit. Ac primo quidem non solum singulas arbores, verum etiam totas silvas, quas *lucus* dixerat, delegerunt, in quibus sacra fierent. Quod apud Saxones vsu venisse, testem habeo ADAMVM BREMENSEM \*). Arbor enim, aut silua, quum sacris faciendis destinata fuisset, media in silua locus delectus fuit, qui diis consecraretur et quem sepimento claudebant, vbi deinde, ara posita, hostias immolauerunt. Quae quidem primorum templorum, in quibus maiores nostri deos venerati sunt, ratio fuit atque conditio \*\*). Saepius autem siebat, vt, si siluae decessent, arbores adorarent precesque ad eas funderent, vti hoc testimonium STEPHANIVS \*\*\* ) nobis exhibet. Sed hanc εἰδωλολατρείαν in Dania Canutus *magnus*, in Saxoniam autem Carolus *magnus*, quum rei christianaefauere inciperent, interdixerunt \*). Tantum autem abest, vt, maiores nostros arbores ipsas, seu lignum coluisse, censemus, vt potius aliam rationem fuisse, credendum sit. Quum enim deos in silvis atque arboribus habitare putarent, illae ipsis ea, qua decet, pietate de venerandae videbantur. Atque ea in re mihi

Ger-

\*) bish. eccl. lib. 1. cap. 6.

\*\*) ARNIELIVS I.C.

cap. 30. §. 12.

\*\*\*) I. C. p. 93.

\*) ARNIELIVS Cimo-

brische Heyden Religion cap.

30. §. 14.

Germani Graecos atque Romanos imitati fuisse videntur. Si enim arbores, silvas ac nemora adorauerint et deas, *Nympbae* dictas, quae memoribus et siluis *Dryadas*, quae vero singulis arboribus praecerant, *Hamadryadas* nominauerunt \*). Deinde vero ut maiores nostri a tempestatis iniuria tuti essent, ac ne prohiberentur, quo minus sacris interesse possent, casas exaedificarunt, in quibus pluia, procellis, aut alia quacumque tempestate ortis, commorarentur \*\*). Quas quidem casas in lucis iuxta aras posuerunt, iis fere locis, in quibus postea templorum fuere extorta \*\*\*). Quae quum ita sint, quis est qui in dubium vocare conetur, Thorum in iis locis, quae descripsimus, a maioribus nostris fuisse cultum? Sed venio nunc ad tempora, quae postea, quam casae Germanis discipluerunt, fuere aedificata. Primum et omnium pretiosissimum Thori templum in regionibus, ad septentrionem vergentibus, Vpsaliae fuisse, omnes antiquitatis scriptores confirmant quod a rege Sueciae Freyo longum tempus ante natum σωτῆα nostrum exstructum fuisse dicitur \*). Quae vbi vera sunt, facillime intelligi potest, eos errare, qui Odium xxiiii. annis ante natalitia christi in regiones septentrionalibus.

\* ) NATALIS COMES  
mythol. lib. v. cap. ii.

\*\*) OLAVSWORMIVS  
monim. Dan. lib. 1. cap. 3.

\*\*\*) ARNKILIVS i.e.  
cap. 31. §. 4.

\*) SNORRO chronie.  
Noruag. p. 1. num. 3. p. 9.

confer. SAGITTARIVS  
antiqu. regni Thur. lib. 1.

cap. 3. ARNKIELIVS  
l. c. cap. 31. §. 5.

trionales venisse, adfirmant. Sacrum autem fuit fuit hocce templum Odino, Thoro ac Frig-  
gae, seu Freyae, quorum trium deorum sta-  
tuae, ex auro confectae, \*) in eo positae fuerunt.  
Licet enim statua Thoris ex ligno parata fuit;  
ea tamen auro et argento distincta fuit atque  
exornata \*\*). In primis veteres templi huius  
praefstantiam summis efferunt laudibus. ADA-  
MVS BREMENSIS \*\*\*) de eo, *totum ex auro*  
*paratum fuisse*, scribit, id quod OLAVS MA-  
GNVS \*) itidem confirmat, qui parietes, co-  
lumnas et tectum auro splenduisse et auream  
catenam templum sepsisse dicit. Scriptores,  
qui illius historiam memoriae mandarunt, vi-  
de apud ARNIELIVM \*\*), qui etiam OLAI  
MAGNI \*\*\*) huius templi descriptionem litte-  
ris consignauit. Hodie adhuc statua Vpsa-  
liae adseruatur, quae vulgo pro imagine Thoris  
habetur. Etsi vero non satis liquet, vtrum statua  
ista ex templo, de quo loquuti sumus, superfit,  
an vero minus; Vpsalienses tamen haud vnam  
rationem esse credunt, ex qua, eam Thorum  
repraesentare, confici possit. Equidem vel-  
lem, vt hoc ex firmis antiquitatis testimo-  
niis possit probari, sed doctissimus SCHVZ-  
ZIVS \*) de huius rei veritate valde dubitat

\*) SCHEFFERVS in  
*Vpsalia cap. V.* p. 37. sq.

\*\*) l. c. cap. 31. §. 5.  
\*\*\*) l. c.

\*\*) ARNIELIVS l. c.  
*cap. 17.* §. 1.

\*) Schuzschriften für  
die alten Nordischen und

\*\*\*) *de situ Daniae et*  
*sept. reg. p. 143.*

Deutschen Voelker 2. B.  
1 Saal. p. 98.

\*) lib. IIII. cap. 6.

et hanc Thori statuam adulterinam esse, probandum in se suscepit. Haud vna ratio est, ex qua id celeberrimus auctor efficere studet ac primo quidem loco falsum id esse iudicat, quoniam Thorus, qui Vpsaliae ostenditur, stans effingeretur, quum in veteribus scriptoribus semper sedens exprimatur. Nostro quidem iudicio hocce argumentum, quod SCHVZZIVS, de Germania optime meritus, adfert, eo magis ad sententiam Vpsaliensium infringendam valere videtur, quo tutius atque exploratius est, veteres ea in re semper summa usus fuisse *angustior*. Deinde id veritatis speciem non prae se ferre ait, quia lignum statuae oleo oblitum sit, quae quidem consuetudo tempora, quibus homines, verorum sacrorum expertes, in regionibus septemtrionalibus esse coeperint, non attingere videretur, ac denique, quoniam ii, qui, ut plurium deorum cultores a religionis profanae erroribus remotos, ad rei christianaे veritates transducerent, in regna, ad septemtrionem vergentia, venerint, nullam non dederint operam, ut quaecumque profanae superstitionis monimenta inuenirentur, euerterent et e medio tollerent. Non igitur esse probabile, fuisse quamdam dei effigiem, quae proba fit, quin ab *αποσόλοις* septemtrionalibus deleta fuerit atque extincta. Ad duas posteriores rationes quod attinet, nescio, an iis Vpsaliensium sententia frangi possit ac destrui. Quum enim hanc, cuius SCHVZZIVS meminit, consuetudinem ad ea tempore non

C

ductam

ductam fuisse, vix ac ne vix quidem possit probari, haud sane video, quid eo argumento contra Vpsalienses confici possit, praesertim quum vel hoc accedat, statuam esse ex ligno confectam, id quod etiam cum iis, quae de statua Thori supra diximus, optime congruit. Deinde neque ex tertio argumento aliquid probari mihi posse videtur, quia faciliter potuit negotio, ut statua illa, quamcunque tandem operam  $\alpha\pi\epsilon\varsigma\lambda\omega$ : in auferendis superstitionis monumentis posuerint, occultaretur. Quae quum ita sint, nisi prima ratio, a s c h v z z i o adducta, nobis satis ad probandum videretur, in illius sententiam, ceteroquin doctissimam, ire dubitaremus. Ut vero ad templa Germanorum redeamus, probe notari vellem, eos in iis extruendis loci rationem habuisse. Non enim quilibet locus templo, in eo collocando, ipsis idoneus esse videbatur. Praesertim autem ea in collibus editis ac montibus altis posuerunt \*). Sic vero pretiosissimum Vpsaliae templum, de quo supra differuimus, in alto colle stetisse, antiquitatis scriptores adseuerant \*\*). Alia exempla vbi quis nosse vult, adeat ille ARNKIELIVM \*\*\*). Inprimis iucundissimum illis fuit, si in eiusmodi collibus, aut montibus arbores, siluae, aut luci reperirentur. In iis enim templa semper

fuisse  
\*) CLUVVERIUS Germ. sis hist. Sueo-Goth. lib. I.  
antiqu. cap. 34. p. I.  
\*\*) ERICVS Vpsalien. \*\*\*) I. c. cap. 31. §. II.

fuisse constituta, ostendit CLVVERIUS \*). Eadem quoque templi Thori, quod Vpsaliae stetit, ratio fuit. Non solum enim apud hoc arbor maxima, ramos longe lateque ducens, generis cuiusdam incogniti, verum etiam totus lucus inueniebatur \*\*). Multa adhuc de templis Germanorum generatim dici possent, sed plura ad nos non pertinent, quin potius ea de re ARNIELIVS \*\*\* ) euolendum mihi videtur, qui de templis veterum Germanorum fuse egit. Templum Vpsaliense autem non fuit ynicum, in quo Thorus cultus fuit. Apud veteres scriptores enim plura alia occurunt. Inter haec Hamburgi templum fuisse dicitur, \*) in quo effigies Iouis, fulmine ac sceptro ornata, vna cum duodecim magnorum deorum imaginibus, quibus Iupiter dextra atque sinistra stipatus fuit, steterit, et quod Carolus *magnus* funditus deleuisse et in eius locum templum, vero deo sacrum, posuisse traditur. Quae Iouis statua, si vera essent, quae narrantur, non alia, quam Thori esse potest. Quum enim Thorus cum Ioue unus idemque sit ac duodecim deorum mentio fiat, quos *Ajas* veteres Germani adpellabant, uti suo loco monstrabitur, haud immerito coniicere nobis licetet, tem-

B 2 plum.

\*) l. c. cap. 34.

ALBERTVM CRANZI-

\*\*) ERICVS Vpsaliens-

VM metrop. lib. I. cap. 12.

sis l. c. lib. I. p. 2.

in vetere chronico Saxon-

\*\*) l. c. cap. 31.

to, a POMARIO edito, p.

\*) mentio illius sit apud

42. 43. et alios.

plum hocce Thoro fuisse consecratum. Sed ea res nondum omnibus numeris ita absoluta est, quemadmodum nonnulli sibi persuadent, ut extra omnem dubitationem polita esse videatur. Hanc sententiam enim ut nonnulli sequerentur, his rationibus adducti sunt, quoniam vulgo Hamburgum a *loue Ham-mone* nomen accepisse crediderunt, quam quidem rationem viri doctissimi non sine causa reiiciunt, quin potius nominis Hamburgi aliam adhibent derivationem. Immo vero additur etiam hoc argumentum, meo quidem iudicio haud contemnendum, numina Romanorum in regionibus, trans Albitum positis, ne cognita quidem fuisse, nedum culta. Magis autem euidens est, quod de templis *Louis ARNIELIUS* \*) refert atque testimonis illustrat et quod nos infra de templo Thorii thornburgico adiiciemus. Haec de templis Thorii. Ad ipsa sacra nunc me converto, quae in illius honorem suscepta sunt. Quae ut plerumque in precando et victimas caedendo apud veteres constiterunt; sic quoque apud Germanos fuisse patet. Thoro autem non animalia tantum, sed etiam homines obtulerunt. Illi enim nihil gratius, nihil iucundius esse putabant, quam si homines, a sacerdotibus forte electos, offerrent, id quod de Danis nobis testatur DVDO, \*\*) de Gallis autem LYCANVS, \*\*\*) qui Tarani aram non

\*) I. c. cap. 31. §. 9.      \*\*\*) loco supra iam  
\*\*) lib. 1. bistor. Norm. dicto.

mitiorem esse dicit ara Dianaë scythicae, quam  
veteres Galli sanguine humano placauerunt \*).  
Non sine causa igitur concludi nobis posse  
videtur, Thoro a Gallis homines fuisse im-  
molatos, quod itidem a Thuringis factum  
esse, infra probabimus. Monstrant hodie in  
Iutia fontem, *Thorsbrunn* dictum, iuxta  
quem fama est olim sacrificia humana Thoro  
fuisse oblata. Fontis illius mentionem facit  
WORMIVS \*\*) et simul, sententiae priori  
contradicens, tradit, nobilem quemdam, qui  
*Thor* appellatus fuerit, apud hunc fontem  
diis filium immolasse, vnde ita nominatus  
sit. De qua re etsi nihil certi haberi potest;  
ea tamen nostram de sacrificiis humanis sen-  
tentiam, quae a Germanis diis sacrificaban-  
tur, haud obscure confirmat. Fontibus au-  
tem vñi sunt veteres, partim ut hostias in iis  
abluerent et purgarent, partim ut deos, quos  
aquaæ præeſſe putabant, colerent \*\*\*). Prae-  
ter homines etiam Thoro bouibus sacrificia  
fecerunt, quorum sanguinem excipere eoque  
capita oblinere consueuerunt. Quibus qui-  
dem, modo enarratis, sacrificiis magnam  
panis copiam et alios cibos addiderunt, quae  
omnia Thoro ad sacrificium præebuerunt \*).  
Atque etiam sacerdotes quosdam habue-  
runt

C 3

\*) WALCHIVS com-  
ment. cit. p. 17.

\*\*) monument. lib. V. p.

285

\*\*\*) vide ARNKIE-

LIVM Cimbrische Heyden-  
Religion cap. 23. §. I.

\*) SNORRO chron. noru-

gum. 7.

funt \*), quibus id negotium datum fuerat, ut qninto quoque ἐβδόμαδος die, sacris Thori destinato, res diuinias tractarent. Qui quidem dies *Thorsdag*, *Tanarsdag* et postea *Donnerstag* nuncupatus fuit. Praeter diem quintum certum quoque anni mensem Thoro sacrum esse voluerunt, qui *Tormonet* adpellatus est. Sueci enim Thoro mensem ianuarium, Dani autem martium tribuerunt \*\*). Quam rem ut probem, testem produco *OLAVVM WORMIVM*, \*\*\* qui: *deorum primarius, inquit, TOR dictus fuit, a quo quinti septimanæ diei nomen Thorsdag ortum traxit et martio mensi Tormonet*, et alio loco \*) haec scribit: *quintum idolum Thoronis, a quo Thorsdag, septimanæ feria quinta.* Danos autem hodie adhuc pro *Donnerstag* usurpare *Thorsdag* iam supra monuimus. Etsi vero *Thorsdag* ita a die, quo Thoro hostiae immolatae sunt, dictum esse, propter testimonia, antea a nobis enarrata, in dubium vocari nequit; vnicum tamen adhuc, ex scriptoribus regni Sueciae desumptum, addere nobis liceat. *ERICVS OLAVS*, \*\*) quum de Thoro verba fecit, inter alia haec memoriae prodidit: *cui, Thoro, singulis bebiomadibus quinta feria per deputatos sacerdotes sacrificia offerebat, Suecorum*

\*) *ERICVS Vpsaliensis*  
fis bift. *Sueo-Goth. lib. 1.*

p. 2.

\*\*) *CLVVERIVS I.C.*  
*lib. 1. cap. 26.*

\*\*\*) *morminent. Dan. lib.*

*I. c. lib. 1. p. 149.*

\*\*) *I. c. lib. 1. cap. 26.*

\*\*) *bift. succ. lib. 1.*

*cap. 1.*

eorum populus, *a quo dies illa dicta erat Thorsdag.* Quae quidem omnia ita puto esse comparata, vt ea de re dubitari haud possit. Ea, quae de sacris Thoris diximus, omni tempore fuere vſitata, praeter ea autem dantur sacra, apud veteres scriptores occurrentia, quae nonnisi follembibus festis diebus fuere peracta. Talia erant sacra *Difae*, seu *Thisae*, coniugis Thoris, quam deam iustitiae dominam et reginam esse putabant. A Suecis in primis quotannis celebrata et *Tiseting* appellata sunt \*). De conuiuis veterum facris, quae interdum in Thoris et aliorum deorum honorem habebantur, infra pluribus differendi erit occasio. Per Thorum etiam iurare solebant, vti ex scriptoribus rerum septentrionalium facilis negotio colligi potest \*\*). Quid? quod hodie apud quasdam nationes septentrionales consuetudo \*\*\*) seruari fertur, vt, quum iureiurando aliquid constringant, ea loquendi formula vtantur: *Ia Thore Gott!* *nein Thore Gott*, siue *ney Thore Gud!*

## VIII

THORVM haud infimum locum in veterum Germanorum diis obtinuisse, vel ex eo cognosci potest, quod eius cultus tam longe lateque patuerit. Quam ob causam iamiam

C 4 osten-

\* ) STEPHANIUS l. c. c. cap. IO. §. 3. confer.  
P. 143.  
\*\*) IDEM p. 141.  
\*\*\*) ARNKELIUS l. seq.

NERRETERVS. *Iuden*  
*und Heyden Tempel* p. 956.

ostendere conabimur, quibus in regionibus Thoro cultus fuerit exhibitus. Celtas cultum Thoris, quamquam non eodem nomine, in omnes regiones, quas post inclitam eorum migrationem occupabant, intalisse, res est, de qua eo magis certi esse possumus atque persuasi, quo luculentius ostendi potest, Germanos, Gallos ac Britannos, qui Thorum venerati sunt, esse Celtarum colonos. Certe in iis regionibus antiquitatis monumenta supersunt, quae eam rem reddunt tam certam, quam quod certissimum. Ex inscriptione, quam supra deo TANARO adiunximus, adparet, deum Tanarum, qui tonitrui praeerat, in Britannia fuisse cultum, quemadmodum sponvis \*) eam in rem testatur, qui aram ait in Anglia esse repartam. Quam quidem rem vel hoc nobis confirmare videtur, quod vocabulum Taran, seu Tanar in lingua britannica tonitru significat, ut suo loco monstrauimus. Atque etiam ara non sine magna veritatis specie prodit, apud Britannos id quoque locum habuisse, quod de locis, vbi sacra fiebant, obseruauimus, licet nulla templorum mentio fiat, quae in Britannia Thoro fuerint consecrata. Fuerunt, qui ex hac inscriptione:

DEA-

\*) mis. erud. antiquit. p. 74. n. 5.

**D E A B V S . M A T R I B V S .**  
**T R A M A I . V V E X . C E R M A**  
**P V . R . D . P R O . S A L V T E**  
**R . F V S . L . M .**

confici posse existimarent, vocabulum **T R A M A I** vnum idemque esse cum Tarane, seu Thoro, et inde probare conarentur, hunc deum in Cumbria, vbi inscriptio inuenta est, fuisse cultum. Quod etsi fieri potuisse haud negamus; in eorum tamen sententiam, qui **T R A M A I** Tararum esse dicunt, discedi haud potest, vt celeberrimus **W A L C H I V S** \*) ostendit. De cultu Thori in Gallia optimus mihi testis est **L V C A N V S**, \*\*), quem ad hanc rem stabilierdam produco. Verba **L V C A N I** iam supra recitaui, non igitur est, quod repetam. Id modo ex iis probari posse arbitror, Taranem, qui non aliis est, quam Thorus, a tota Gallorum natione cultum esse, ita quidem, vt eum sanguine humano placarent. Ac sententiam nostram veritate niti, aliam addimus rationem. Parisiis nimirum effossum est anno **C I C I O C C X I**. monumentum \*\*\*) antiquum, caput referens senile, barbatum, habens iuxta aures erectas cornua, quorum utrique annulus adnexus est, addita inscriptione: **C E R N V N N O S**. Multa de eo disputarunt viri doctissimi,

C 5 mi,

\*) comment. cit. p. II-  
15, confer. KEYSLERVS  
antiquit. septentr. et Celt.  
p. 369.

\*\*) pbarf. lib. I. v.  
446.  
\*\*\*) fusse de eo agit W A L C H I V S l. c. p. 39-36.

mi, cum de iis, quae ad vocabuli notationem spectant, tum de eo, quid per CERNVNOS indicari debeat. LEIBNITIUS \*) statuam quamdam Bacchi esse putat, et alii alia statuant. Sed veritati magis consentaneum esse videtur, si cum PELLOVTIERIO \*\*), WALCHIO \*\*\*) atque aliis existimamus, eo nihil aliud significari, quam Iouem tonantem, seu deum, quem tonitrui Galli praesidere arbitrabantur. Quum enim graecum οὐρανος, ex quo CERNVNOS factum esse videtur, et graeca Αστυπαιος, Βεονταιος quasi attributa et επιθετα Iouis vltoris sint, mortalium sceleratam vitam per tonitrua, fulmina et tempestates punientis, \*) propter conuenientiam significationis, quae est inter Taranem et Iouem tonantem, Βεονταιος et sine dubio Cerunnum haud difficulter intelligi potest, Gallos nomine CERNVNOS Iouem tonantem, seu Thorum diuino honore fuisse prosequuntos. Quam supra deo TARANVCO adduximus inscriptionem SPONIVS \*\*) in Dalmatia inuentam esse dicit, ex qua Iouem Tarancum, seu Thorum in iis regionibus cultum fuisse videmus. Quod si cui forte mirum videatur, illius rei ratio prompta est atque parata. Vocabulum Taran enim ex vetere

\*) collect. etymol. T. II. p. 80. \*\*) histoire des Celtes T. II. lib. III. cap. VI. \*\*\*) I. c.

\*) PETRVS EVRMANNVS in Ioue fulgeratore.

\*\*) miscell. erudit. antiqu. p. 73. n. 4.

celtica et britannica lingua in dalmaticam migrauit, vt viri doctissimi recte obseruarunt \*). Thorus vti ad omnem septemtrionem pertinebat, quemadmodum ex praecedentibus constat; ita etiam in omni Germania eum cultum esse patet. Non solum enim nationes, ad mare balticum Albimque sitae, in Thori honorem templa exstruxerunt, verum etiam Borussi ac Bohemi Iouem, seu Thorum adorauerunt, cui quidem rei HACHENBERGIUS \*\*) fidem facit. Author *anonymus* libellum \*\*\*) edidit, in quo, Torgauiam in Saxoniam a Thoro nomen accepisse, comprobare studet. Fecit hoc ita, vt ex rationibus idoneis ostenderet, *Torgau* significare *eine Gottes Au.* Quae sententia vti se valde commendat; ita etiam inde haud difficulter perspici potest, Thorum in Misnia olim esse cultum. Multa in libello de Thoro adiecit, quae non sine voluptate legimus. Praeter ea autem alias atque alias coniecturas addidit, quibus vellem, vt calculum adiicere possem. Inter haec Thorum ab hebraeorum יְהוָה deriuat, et multa alia, quae ad stabiliendam suam sententiam faciunt, quam copiosissime percents. Pluribus liber ceteroquin doctissimus euolui potest. Praeter eos autem, quos modo nominauimus, Alemanni etiam Thorum coluerunt eique sacrificia obtulerunt. Quam quidem in rem ara, nuper effossa et deo Targauis ipso, (\* MULANI MULTEOVA ranuc-

\*) SPONIUS I. C. 1. (\*\*\*) die in Religione con-  
\*\*) Germ. med. p. 188, sq. siderabile Stads Torgau.

ranucno dicata testari mihi videtur. Fama ad nos perlatum est, haud pridem Germersheimii in *Palatinatu inferiori* lapidem esse erutum, in quo inscriptione deo Taranucno sit insculpta. Ipsius inscriptionis sententiam nondum litteris consignarunt viri doctissimi, id vero comperimus, lapidem Manhemium esse deportatum. Ea lapidis inscriptione ut de Taranucno, seu Thoro, in *Palatinatu culto*, testatur; ita etiam, quantum coniicere nobis licet, quoniam inscriptionis argumentum ignoramus, circa id tempus facta esse videtur, quo ara, nuper effossa, AVERATIO PRIMO posita est. Praecipue cultus Thori ad Thuringos, qui primum Thoringi, deinde Thuringi dicti sunt, spectauit. Etsi enim Thorus deus fuit vniuersalis; in primis tamen a Thuringis tamquam deus τονιδος cultus esse videtur. Haud vna quidem ratio est, cur id a nobis adfirmari posse putamus, caput reiautem eo potissimum redire videtur, vt, Thuringis a Thoro nomen impositum fuisse, ostendamus. Quam ob causam nobis quaedam de Thuringis et thuringici nominis ἑτημαλογες dicenda sunt, quo facilius ea, quae de Thoro in medium adferemus, possint diuidicari.

## X

THVRINGORVM nomen primum occurrit apud VEGETIVM RENATVM \*), qui equos thurin-

\*) malomedicinae, siue artis veterinariae lib. 1111.  
cap. V.I.

thuringicos iniurias patienti animo ferre scribit. Qui scriptor quum seculo quarto ad finem vergente vixerit, non sine caussa adseverari posse videtur, Thoringorum nomen circa seculum quartum florere coepisse, quoniam ne vnicus quidem scriptor ante **VEGETIUM RENATVM** eorum mentionem facit\*). Sic vero alii huius temporis scriptores hanc gentem vel describunt, vel etiam appellant, semper autem regionem Toringiam, vel Thoringiam et incolas Toringos, vel Thoringos nuncupant \*\*). De origine Thuringorum, praecipue quae ad regiones pertinent, vnde venerint, ita discrepant virorum doctifimorum sententiae, ut ea in re nihil pro certo haberri possit \*\*\*). Haud vnam nationem trahisse, quae Thoringos constituit, res est, de qua eo minus post dubitari, quo maius regnum fuit, quod antiquissimi Thuringi tenuerunt. Quam ob caussam recte illi mihi sentire videntur, qui primas omnium nationes, quae nominis thoringici fundamenta iecerunt, circa Danubium habitatasse adfirmant. Quae quum in crebris germanicorum populorum migrationibus ab aliis depellerentur ac sedes mutare cogerentur, longe lateque vagatae cum aliis Germaniae populis inidere societatem. Hic autem haud immerito quaeri posse videtur, quinam illi populi fuerint,

\*). SPENERVS notit. \*\*\*). confer SAGITTA-  
Germ. med. cap. 4. §. 24. RIVM antiqu. regn. Tbur.  
\*\*) scriptores vide apud lib. I. cap. 4.

rint, cum quibus haecce societas facta est. Quia quidem in causa et si omnia incerta ac dubia sunt; nos tamen ea in medium proferemus, quae a veritate non longe abhorrent. Quum enim Thuringi Cherulcorum agros coluerint, neque etiam nos vniquam, Cheruscorum nationem extinctam fuisse, legamus, nostro quidem iudicio nihil obstare videtur, quo minus, populos nostros cum Cheruscis foedus icisse, credamus. Idque eo magis, quo exploratius est, multarum nationum nomina, quum Thoringorum nomen elucere inciperet, periisse. Etsi enim id certum est, Cheruscos cum Saxonibus quoque fecisse societatem; haud raro tamen apud antiquos Germaniae populos accidit, ut foedera sancta et confirmata rumperentur. Quae quidem argumentis, ni fallimur, satis firmis nituntur. Et enim post regni thuringici interitum, quas antea Cheruci tenuerant, regiones Saxonibus a Franci fuerunt relictae. Idque Saxones suo quasi iure postulare poterant, quoniam Cherisci, qui olim ad foedus ipsorum pertinebant, ab ipsis defecerant et a partibus nouorum nationis thuringicae conditorum steterant. Praeter Cherulcorum regiones Thuringi quoque Hermundurorum agros tenuerunt. Hinc nos non valde errare putamus, si Hermunduros cum nouis populis foedus sanxisse credimus. Quamquam enim Hermunduri, sedibus pristinis relictis, Sueuiam occupauerunt; nihilo tamen minus amicitiae societatem cum iis coire potuerunt,

nisi

nisi potius agros, ab Hermunduris desertos, subsequentibus temporibus a Thuringis occupatos esse quisquam adfirmare velit. Cum Cattis, quorum agros Thuringi etiam incolebant, numquam nouae gentis conditores fecerunt. Itaque suspicantur viri doctissimi, eo tempore, quo magna Cattorum pars cum Francis in Galliam impetum faceret, nouae thuringicae gentis vires inualuisse et reliquos Cattos, vel sua sponte cedentes, vel vi expulsos, sub suam redigisse potestatem. Sunt etiam, qui vel Anglos et Varnos, vel Nariscos et Semnones ad Thuringorum societatem sese adiunxisse existiment. De qua re etsi alii sunt, qui dubitant; hanc rem tamen non tanti momenti esse iudicamus, ut fuisse doctorum sententias hanc in rem adducamus ac refutemus, praecipue quum, quantum maximam tandem adhibeamus operam, ad eam rem probandam, nihil certi statui posse videatur, quoniam omnia non nisi coniecturis et rationibus, ad probandum non satis firmis, nituntur. Id vero omnes libentissime fateantur necesse est, germanicos populos fuisse, qui cum nouis Thuringis foedus feriebant, quum propter magnam populorum multitudinem, qui tum Germaniam incolebant, non opus esse videatur, ut alios aliunde arcessamus. Siue igitur Cherusci, siue Hermunduri, siue Narisci, Semnones et Reudungi, siue Angli et Varni, siue aliae quemque nationes fuerint, incertis commotae rationibus circa seculum quartum Saxo-  
num,

num, Francorum atque aliorum populorum exemplo foedere inter se coniunctae his legibus inierunt societatem, ut communibus statutis, nomine ac religione vterentur seque ab hostium excursionibus tuerentur. Commune deinde numen *Thor*, cui cultum praestarent, elegerunt, a quo omnes Thuringi, siue Thuringi adpellati sunt. Quinto seculo ad finem vergente et initio sexti reges habuerunt, et regnum eorum *thuringicum* vocatum est. Sub regibus res thuringica valde augeri et imperii fines propagari coeperunt. Amplissimos enim Thuringiae antiquae fines fuisse, docet SPENERVS: \*) septentrionalis, inquit, *Thuringia dicta est, quae trans Vnstrutum ad Ockeram pertigit, australis, quae ab Vnstruto ad Moenum prospexit, orientalis fuerit dicta, quam Sala ab australi diuisit, occidentalis, quam Werra distinxerunt. Ea, quae modo diximus, hoc confirmantur, quod Thuringi Cattorum et Cheruscorum agros tenerent.* Ad illos enim pertinuerunt sequentes regiones: \*\*) *Thuringia, qualis hodie est, Hassia fere tota, omnis ducatus Grubenhagensis, episcopatus Paderbornensis dimidia pars, abbatia Fuldensis, principatus Coburgensis et Franconiae pars, ad hos autem omnes regiones, Visurgim inter et Albim sitae \*\*\*).* Sed postea

Thu-

\*) notit. Germ. med. cap. Germ. antiqu. lib. IIII. cap. IIII. §. 28. 3. §. 4. not. m. IDEM I. c. lib. IIII. 3. SPENERVS notit. cap. 3. §. 54.

Thuringi res male gesserunt et regnum ingenti calamitate collapsum est. Imperii fasces enim tenente Hermenfrido quum in Thuringia omnia essent turbata, quia duo illius fratres cum eo simul regnare cupiebant, Hermenfridus ad fratres opprimendos a Theodoro, Francorum rege, auxilium petiit. Cui quidem Theodosius auxilio venit et, victis fratribus, ex pacto ab Hermenfrido postulavit, ut ipsi regiones, quas ille promiserat, traderentur. Qui quum promissa seruare recufaret, Theodosius regi Thuringiae bellum indixit praelioque victum Saxonum auxilio ad interencionem usque deleuit. Quibus rebus factum est, ut reges in Thuringia esse desinenter ac Thuringi, maxima finium parte multati, tributum soluere cogerentur. Ita autem diuidebant amplum Thuringorum regnum, ut Saxones Thuringiam septentrionalem acciperent, partem Franci sub suam redigerent potestatem, reliquam autem Hermenfridus, dum viueret, retineret. Etsi vero magna Thuringiae pars in Saxonum potestatem venit; eam tamen, ut veterem diuisionem in memoriam reuocarent, per longum temporis spatium *Nordthuringiam* adpellauerunt. Subsequentibus temporibus, quod circa finem seculi sexti factum esse videtur, Thuringi, trans Salam siti, a Sorabis expulsi alio sibi sedes quaerere cogebantur. Sed interiecto aliquo tempore agris suis rursus potiti sunt, numquam tamen priscos Thuringiae orientalis fines recuperauerunt. Etsi vero Thuringiae

D

fines

fines exitio superiori valde erant diminuti; vetus tamen Thuringia hodierna longe maior fuit. Tota enim Hassia ad illam pertinuit, quae olim Thuringiae pars fuit et Thuringia occidentalis appellata est, quemadmodum Thuringia australis agros cis Vnstrutum, orientalis autem omnes regiones, trans Salam positas, complectebatur. Haec de Thuringis generatim, quantum ad Thorum explicandum necessarium esse videbatur. Sequitur nunc, ut de notatione vocabuli *Thuringia* agamus. Tanta hic est inter viros doctissimos dissensio, ut quot capita, ut aiunt, tot sensus esse videantur. Alii enim Thuringos a *durus* \*) ducunt, ex ea ratione, quia ad perferendos labores atque molestias fuerint idonei. Sed nihil absurdius fingi, aut cogitari potest, vocabulum latinum ad nomen, populo germanico imponendum, esse adhibitum. Ac horum sententia ubi vera est, cur non potius omnes Germaniae populi, ad suscipiendos labores apti, *Duringi* dicti sunt? et quamnam subest ratio, ut foli *Thuringi* ita dicentur? Immo vero accedit etiam hoc, quod in antiquissimis scriptorum monumentis semper *Thoringi* et *Thoringia*, non vero, ut sequentibus temporibus, *Doringia* scribatur. Sunt etiam, qui, Thuringos strenuos pugiles fuisse et inde vel a Germanorum *Theur*, vel a Gothorum heroe *Theyra*, siue *Teyra Theuren-ringer* et *Thuringer* nuncupatos esse, censemant.

\*) ita sentit auctor *anonymus de Langraviis Thuringiis* cap. 1.

ant. Hanc deriuationem autem nimis esse adfectatam, iusto longius petiram et ab omni dicendi ratione quam longissime abhorre, nemo non haud difficulter intelligit. Neque vero desunt, qui in Tyrigetis PLINII, \*) STRABONIS \*\*) atque PTOLEMAEI \*\*\*) Thuringos latere arbitrentur. Doleo autem, argumentum hocce nonnisi similitudine quadam niti, quae est in Thoringos et Tyrigetas. A Getis enim Gothos: a Dacis, Danos: a Phrygibus, Frisios: a Sacis, Saxones atque complures alios populos ducere, aequa absurdum est, ac Tyrigetas in Thuringos mutare, quod quidem contra omnem linguam naturam mihi esse videtur. Qui Thuringos a Tungris nomen accepisse putant, TACITI \*) auctoritate nituntur, qui haec litteris consignauit: *ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper auditum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, siunc Tuntri, nunc Germani vocati sunt.* Id qui adfirmant, quam maxime errare, ostendit SAGITTARIUS \*\*), qui ea in re longus est. Complures aliae sententiae restant, quibus Thuringorum nomen extorquere viri, alias docti, student. Modo enim Tyrangitas et Teuriochaemas PTOLEMAEI \*\*\*) modo Tulingos CAESARIS \*);

D 2 modo

\*) lib. IIII. cap. 12.

\*\*) antiquit. regn. Thur.

\*\*) lib. VII.

lib. I. cap. 2.

\*\*\*) in Sarmatias decriptione.

\*\*\*) in Sarmatiae descript.

\*) German. cap. 2.

\*) de bello gallico lib. I.

cap. 40.

modo Reudingsos TACITI \*): Theruingos EVTROPII \*\*) et nescio, quos alios populos nominant, ex quibus Thuringorum nomen effungi posse sibi persuadent. Nonnulli ex Cheruscorum, Hermundurorum et Turcilingorum nominibus Thuringorum nomen mira quadam litterarum μεταθέσει deriuare conantur. Quae vero omnia vti plerumque coniecturis et argumentis, ad probandum haud idoneis, continentur; ita etiam in iis enarrandis longi esse non possumus, quoniam instituti ratio plura adiicere haud patitur. De ceteris rebus si quis sententias, a nobis adlatas, fuse legere cupit, adeat ille SAGITTARIVM \*\*\*), vbi eas enarratas inueniet et fastis refutatas. In iis autem percensendis, quae de Thuringis generatim exposui, eumdem SAGITTARIVM \*), in primis doctissimum SPENERVM \*\*) sequutus sum. Omnibus igitur sententiis, quae de notatione vocabuli *Tburingia* vulgo traduntur, rite inter se comparatis, optimus quisque facili negotio iudicare poterit, vtrum nostra sententia, Thuringos a deo communi Thoro Thoringos primum, deinde autem Thuringos ac pro diueritate dialectorum Doringos, Doeringos et Duringos dictos esse, omnibus aliis praeferrenda sit, an vero minus. Evidem meō  
ohom iudi-

\*) l. c. cap. 40.

\*) l. c. lib. II. cap. x.

\*\*) lib. VIII. cap. 2. XI. XII.

\*\*\*) antiquit. regn. Thur. lib. I. cap. I. II. III. \*\*) notit. Germ. med. cap. IIII. §. 23-28.

iudicio nescio, an inter eas, quas nomina-  
vi, sententias vlla sit, ex qua faciliori labore  
*Thuringia* possit formari, quam in nostra fieri  
videmus. Ad terminationem enim *ing* quod  
attinet, quae *Thor* addita est, veteres Ger-  
mani eam quam plurimis nominibus adiece-  
runt, quemadmodum multa exempla id no-  
bis confirmant. Sic enim in antiquitatis mo-  
nimentis reperiuntur vocabula *Reudingi*, *Tu-*  
*lingi*, *Turcilingi*, *Ascalingium*, *Ostringe*,  
*Harlinge*, *E singe* et quam plurima alia, quae  
videantur apud *SAGITTARIUM* \*). Quae  
vero si cui minus probantur, ab hoc probe  
notari vellem, terminationem *ing* denotare  
*progeniem*, seu *posteros*, et Thuringos esse  
quasi posteros, seu liberos dei *Thori*, quem  
summa pietate ut patrem coluerunt, aut si  
hoc magis adridet, Thoringos adpellatos  
esse, *quasi satu istius Thorii dei ortos* \*\*). Sed  
sunt alia, quae stabilienda nostrae sententiae  
inseruiunt, quem in censum haec potissimum  
venire videntur. Saepissime veteres nomina,  
a diis desumpta, genti cuidam, vrbibus atque  
aliis rebus imposuerunt. Id quod cum Thoro  
etiam factum esse, tot nomina indicant, quae  
in Dania et aliis regionibus septemtrionalibus  
ab eo nomen gerunt et quae *ARNKIELI-*  
*vs* \*\*\* nominat, *Torstet* numirum, *Toring*,  
*Torsberg*, *Torsagger*, *Thorslund*, *Torsee*,  
*Torsleff*, *Torup* et multa alia. Quae quum

\*) antiqu. regn. Thur. lib. 1. cap. 3. C. SPERNERVS. notit. Germ. med. cap. I. III. §. 23. \*\*\* 1. c. 23. 10. 3.

ita sint, quid obstat, quo minus Thoringos etiam ita a Thoro dictos esse adfirmemus? praecipue quum in nominibus, antea a nobis dictis, inter alia *Toring* occurrat. Neque etiam exempla defunt, quae Thorum a Thuringis cultum esse monstrant. Haud immerito quidem ea regio, in qua nuper ara, deo Tarantuco dicata, inuenta est, ad Thuringiam occidentalem, cuius fines supra indicauimus, posset referri, temporis autem ratione habita, id nullo modo fieri potest. VERATIVS PRIMVS enim, miles romanus, a quo ara, nuper reperta, posita est, sub legione viii. stipendia meruit, quae quam in ea regione statua haberet, ab Antoninorum tempore usque ad tempora Seueri in Germania stetit. Etsi vero nos ignoramus, quo anno ara deo Tarantuco fuerit dedicata; de hoc tamen dubitari nequit, id ab Antonini tempore usque ad Seuerum factum esse. \*) His temporibus autem Thuringorum nomen nondum exstitit ac seculo demum quarto ortum esse videtur, ut supra hoc a nobis demonstratum est, quamquam, Thuringos Thorum in his regionibus subsequenti tempore coluisse, haud negauerim. Atque etiam hic ea pertinere videntur, quae supra de queru Iouis Geismari, in Thuringia occidentali positi, adnotauimus, et quae infra de conuersione Thuringorum dicemus. Quae quidem omnia testimonia, fide haud destituta, ad probandum Thorum in Thuringia cul-  
\*) vide WALCHII comment. cit.

tum, ita profecto comparata sunt, ut hac in caussa dubitatio esse possit omnino nulla. Quibus, quae antea diximus, ubi haec addantur, Thuringos, quum illustrari inciperent, semper Thoringos esse vocatos, et eorum nomen succedentibus demum temporibus in diversas diale<sup>c</sup>tos fuisse immutatum, haud sane video, quid contra sententiam nostram de *thuringici* nominis ἐπυμολογίᾳ obici possit, quum omnes aliae deriuations difficillimo labore debeant extorqueri. Ceterum sententiam nostram **SAGITTARIVS**, \*) **SPENERVS**, \*\*) **TRESENREVTERVS** \*\*\*) **WALCHIUS** \*) atque complures alii amplectuntur.

## XI

H A V D absurdum esse putau, si hoc loco de conuersione Thuringorum ad religionem christianam paucis verba facerem, partim vt ea magis confirmarentur, quae iam de Thoro diximus, partim vt alia atque alia, quae ad eundem spectant, illustrarentur. Quamquam autem verissimum est, salutarem doctrinam post servatoris nostri in caelos adscensum in Germania fuisse adiunctatam; ea tamen paullo post superstitione profana iterum oppressa et obscurata esse videtur. Sunt quidem, qui impe- rante Hermenfrido quosdam Thuringos nomen Christo dedisse putent, quae vero ut omnia incerta ac dubia sunt; ita etiam ostendi haud potest, quam late haecce conuersio

D 4 per innotescere per-

\*) l. c. lib. I. cap. 3. II. cap. I. <sup>III. cap. III.</sup>

\*\*) l. c. cap. IIII. \*) comment. cit. p. 46.

\*\*\*) antiquit. germ. lib. <sup>IV. cap. IV.</sup>

pertigerit. Interea tamen **SAGITTARIUS**,<sup>\*)</sup> ante Bonifacii aduentum in Thuringia Christi adseclas fuisse, probare studet. Sed magis certa sunt, quae, quum Bonifacius Thuringis de saluberrimis rei christianaे doctrinæ praedicaret, acciderunt. Etsi enim in convertendis Thuringis Bonifacius ea tantummodo respexit, quae ad imperium atque vitalitatem praesulū romani facere videbantur; hisce tamen rebus factum est, vt, si non omnes, maxima tamen eorum pars nomina apud Bonifacium profiterentur et etiam atque etiam rogarent, vt ad Christi adseclarum numerum adscriberentur. Haecce Thuringorum conversio circa seculi octaui initium coepit et ad medium usque durauit. Tantum autem abest, ut omnes Thuringi Christo nomen dederint, vt multi potius superfluerint, qui vel veterem doctrinam retinerent, vel a vicinis Saxonibus verae doctrinae nuntium mittente cogerentur. Praesul enim romanus Gregorius II. circa annum 10CCXXVIII. litteras ad Thuringos misit eosque adhortatus est, vt, religionis profanae erroribus remotis, sacris Christi adseclarum initiarentur, templa, vero numini dicata, aedificarent, neque etiam hostias humanas diis offerrent. Neque vero non relatum legimus, eumdem praesulem Bonifacio negotium dedisse, vt eos christianorum sacris imbuendos curaret, qui a sacerdotibus, Ioui hostias immolantibus, sanctissimo tinti fuissent lauacro. Quod etsi a

<sup>veri-</sup>  
\*) antiquit. gentil. et christ. thur. lib. 11. cap. 4. 5.

veritate longissime abhorrere videtur; ex eo tamen et ex praecedentibus facile intelligi potest, Thuringos et Thorum coluisse, et ipsi homines sacrificasse, modo, Thorum louem tonantem esse, adfirmemus. Sed adhuc alia Thori, in Thuringia culti, testimonia sunt, Commemorat enim SAGITTARIUS multos ritus ac diuersa superstitionum genera, quae seculo octauo in Germania adeoque et in Thuringia a verorum sacrorum expertibus seruata fuerunt. Haec omnia autem se inventisse ait in libro *capitularia regum Francorum* inscripto. Inter alia in indice, quem in libro suo doctissimo adiecit, verba fiunt de sacris Iouis et Mercurii ac de festis diebus, in illorum deorum honorem celebratis. Quae quidem omnia, hactenus a nobis dicta, manifeste de Thoro, in Thuringia culto, testantur. Pluribus de Thuringorum conuersione legi potest SAGITTARIUS. \*)

## XII

POSTQVAM de cultu Thori apud Thorungos generatim exposuimus, nunc in primis de diuino honore, quo Thornburgi affectus est, agendum nobis est. Huius rei autem, ut omnes rationes ostendunt, ea profecto est conditio, ut non sine magna veritatis specie hoc a nobis contendи posse existimemus. Fama est, fuisse olim Thornburgi templum longe celeberrimum, in Thori honorem extrectum, in quo ingens Thori statua posita D. 5 fuerit,

\*) I. c. lib. II. cap. I - 5.

fuerit, cuius imago parua hodie adhuc adseretur, verorum sacrorum expertes peregrinationes sacras frequenter ad hoc templum celebrasse ac Thoro sacrificia obtulisse. Po- ne arcem principalem antiquorem pratum ostenditur, in quo templum hocce constitutum fuisse dicunt. Praeterea gradus ibi vi- suntur, ingentis quidem antiquitatis testes, quibus plurium deorum cultores in templum adscendisse tradunt. Ipsum autem pratum filua parua, amoenitatis plenissima, circum- datur, quae ab incolis *dvr Hain*, sive *Hahn* adpellari solet. Oppidum, muris munitum, in alto colle ex parte in regione situm est, qua nescio an villa sit incundior. Medios mon- tes interfluit Sala fluvius, qui, magno altiore fluens, circumiecta rigat prata liberque pro- spectus eorum etiam, quae procul recessere, oculis permititur. Thornburgi autem olim fuisse templum, nisi omnem antiquitatis scri- ptorum fidem infirmare velimus, omnino adseuerari debet. Sic LAMBERTVS Schafna- burgenis \*): *exustum est*, inquit, *famulosum templum in Dornburg*, DITMARVS \*\*): autem ita scribit: *in septimo anno*, imperii, vel regni Ottonis magni, *templum domini in Dorn- burg combutum est*, ac paucis interiecit: *beneficium*, inquit, *omne*, *quod ad ecclesias*, *in Merseburg ac in Mimilue positas ac ad Thornbūrc et Kirchberg pertinentes, fuit, an-*  
tequam

\* ) *de rebus Germanor. ad lib. II. quod exstat in ann. 971.* LEIBNITII scriptoribus

\*\*) *cronic. Merseburg. rer. Brunsvicens. T. I.*

*tequam ordinaretur, obtinuit.* Thornburgum in agro nunc vinariensi esse intelligendum, sine dubio ex eo adparet, quod DITMARVS ecclesiis *Thornburgensem et Kirchbergensem* coniungat, id vero extra omnem dubitationem positum est, *Kirchberg* vnam arcium fuisse, quae circa eam regionem olim steterunt, vbi hodie turris est, quae vulgo *der Fuchsturm* appellatur. Quum igitur illi scriptores de templo loquuntur, quod incendio conflagrauerit, viri doctissimi hinc non sine causa confici posse putant, olim Thornburgi templum Thori fuisse, cuius quidem rei haud vna ratio esse videtur. Namque supra ostendimus, veteres Germanos in lucis primum aras posuisse, ac deinde in iis templa exstruxisse, fecisse autem hoc ita, ut montes altos ad sacra facienda eligerent. Quae quidem omnia Thornburgi deprehendimus, ex descriptione nostra, quam modo dedimus, videri potest. Quibus si haec adiiciamus, Thornburgum ad Salam vrbe esse, quae antiquissimis abhinc temporibus habitata fuit, et quam olim longe maiorem fuisse \*) fama est, ea res sententiae nostrae summam adfert probabilitatem. Immo vero accedit conuenientia adpellationis, quae, vti Thuringia, a Thoro desumpta est. Ac meo quidem iudicio, vbi Thoringiam a Thoro adpellatam esse probatum fuerit, quod nos fecisse putamus, ob convenientiam adpellationis faciliter deinde negotio confici poterit, Thornburgi templum Thori

\*) SAGITTARIUS antiqu. regn. Thur. lib. 1. cap. 3.

Thori fuisse. Ne dicam, famam, quae de cultu Thori Thornburgi est, hac in re vi sua probandi haud destitui. Thornburgum autem olim dicebatur *Dorberg*, *Thornburg* et *Dornburg*, ut hoc antiquitatis monumenta confirmant. In **DITMARE**, cuius *chronicon immortalis LEIBNITIUS* ex codice, manu scripto, edidit, occurrunt *Thornburg* et *Dornburg*, in antiquo autem urbis sigillo legitur *Dorberg*. Quod superest monumentum, in quo sigillum hocce usurpatum fuit, exstat ab anno **CICICLXXX**. Thornburgenses autem absque dubio illud iam ante per longum temporis spatium adhibuerunt, quemadmodum vetus scriptio docet, quam in sigillo insculptam videmus. Quodsi igitur hoc verum est, Thoringos a Thoro nomen accepisse, neque etiam id negari potest, Thorum in Thuringia esse cultum, in dubium vocari nequit, Thuringos Thornburgi Thorum fuisse veneratos. **LAMBERTVS Schaffnaburgensis** vocat templum nostrum *famosum*, tale quidem, de quo vel propter cultum, Thoro, deo celeberrimo, praefitum, vel fortasse etiam ob sacrificia humana fama in omnibus Germaniae regionibus percrebuerat. De ipso templo plura ad tempora nostra non peruenientur, valde autem est probabile, Thuringos, quum nondum templa haberent, in luco aram posuisse ac subsequenti tempore, casa exstructa, Thoro hostias cecidisse, ex qua casa templum hocce deinde factum esse videtur. Qua quidem in re omnia iis respondent, quae supra de templis veterum Germanorum diximus.

Ne-

Neque etiam id certo a nobis adfirmari posse putamus, quo fato templum incendio fuerit deletum, quia scriptores non adiecerunt, quo casu conflagrauerit. Interea Thuringis ad rem christianam conuersis quum omnis plurim deorum cultus interdiceretur, quod templum Thoro antea dedicatum fuerat, hoc, ut omnes rationes ostendunt, Thuringi vero deo sacrum esse voluerunt. Id quod ex iis DITMARI verbis adparet, quibus, *templum domini in Dornburg combustum esse*, dicit, quae non nisi de vero numine puto esse intelligenda. De tempore, quo templum flamma consumptum est, dissentire videntur scriptores. LAMBERTVS enim Schafnaburgensis id anno 10CCCCLXXI. accidisse scribit, DITMARVS autem hoc septimo regni, vel imperii Ottonis magni anno factum esse testatur. Quum igitur Otto imperator anno 10CCCCXXXVI. regni fasces suscepit, illi scriptores xxx. fere annis differunt. Inter se tamen, ni fallor, aliquo modo possunt conciliari. Quod si enim adfirmamus, DITMARVM ab eo tempore annos computare coepisse, quo Otto, a praefule romano coronatus, imperare coepit, quod anno 10CCCCCLXII. contigit, tum vero hosce scriptores non nisi duobus annis differre videare licet. Atque etiam meo quidem iudicio facile hoc admitti potest, si illorum temporum superstitionem consideramus, qua imperatores legitimos esse negabant, nisi praeful romanus eos legitimos iudicatos coronaaset. Quam sententiam etsi nemini obtrudere volu-

volumus; id tamen negari haud potest, templum thornburgicum regnante Ottone *magnō*, qui anno 1000 LXXIII. diem obiit supremum, incendio ac ruinis esse collapsum. Monstrant hodie Thornburgi signum, ea magnitudine, quam in tabula aenea indicauimus, et quod vulgo pro signo Thorii habetur. Collunt illud Thornburgenses ut antiquissimum vrbis monumentum, quod, Thorum apud ipsos cultum esse, significaret. Ex aere flavo signum paratum est, cuius ab altera parte vncus conspicitur, dimidium pollicem longus, quo parieti infixum et ita cultum fuisse tradunt. Anno 1150 CCXVII. quum Thornburgum funditus incendio deleretur, hocce antiquitatis monumentum flammis ereptum est. Etsi vero de hoc non dubito, Thuringos Thornburgi Thorum veneratos esse; hanc tamen esse Thorii imaginem, ut creditur, vellem, ut ex antiquitatis monumentis posset probari Narrationis genus enim, litteris non consignatum, quod in personarum fide positum est, vt non multum probat; ita etiam ea imaginis est ratio atque conditio, praecipue si vestitum spectemus, ut medii aeui tempora valde redolere videatur. Interea neque iis contradicere conor, qui eam Thorum representare statuunt, quoniam hanc in rem in utramque partem potest disputari. Equidem vellem, ut ne multa antiquitatis monumenta incendio conflagrassent, ex quibus sine dubio, cui sententiae fauendum sit, fieri possemus certiores, rebus autem sic se habentibus,

tibus, tamdiu in nostra sententia manebimus,  
quamdiu, signum probum esse, ostendi haud  
potest.

## XIX

**V**T temporis quoque ratio habeatur,  
hanc ob causam necessarium est, quo facilis  
de antiquitate Thori iudicandi sit nobis  
facultas. Quamquam Celtas Thorum in Asia,  
sicut non eodem nomine, diuino honore ad-  
fecisse, supra non sine causa adseueraui; nol-  
lem tamen ego idcirco credere, Thurram  
Assyriorum esse Thorum, de quo agimus.  
**S**CHEFFERVS \*) enim ex hoc *chronici ale-  
xandrini* loco: *post Ninum regnauit apud  
Assyrios Thurras, cui Zames pater, ex Rhea  
frater, Martis nomen a planeta eius nominis  
imposuit*, probare studeat, hunc Thurram non  
alium esse, quam Thorum, fuisse rei bellicae  
peritissimum, ac Thracia subiecta et Caucaso  
monte superato, in vicinas regiones venisse,  
quimque regnare coepisset, a Thracibus ac  
Scythis ut deum esse cultum, quem quidem  
cultum Celtas ac Scythas postea in Europam et  
regiones, ad septentrionem vergentes, in-  
tulisse, unde cultus Thori religiosus originem  
traxerit. Et ipse **SAGITTARIUS** huic senten-  
tiae adfensum praebere videtur. Hoc vero  
ut credam, nullus ego possum adduci. Quem-  
admodum enim omnia, quae de Thurra nar-  
rantur, non nisi coniecturis nituntur; ita quo-  
que

\*) confer **SAGITTARIUM** *antiq. regn. Thur. lib.*  
*1. cap. 3.*

que ad hanc rem probandam noni aliud argumentum adferri potest, quam adpellationis conuenientia. Quae vero quam male in eiusmodi causa adhibeatur, iam supra exemplum dedimus. Deinde iis, qui hoc statuunt, vel eam ob rationem suffragari haud possum, quoniam primi et antiquissimi Celtae numquam homines ut deos coluerunt. Id enim non solum Graecis vitio vertebant iisque irridabant, verum etiam doctrinis et religioni eorum hoc repugnare videbatur. Supremum numen dari statuebant, quod cuncta *elementa* cum quibusdam *intelligentiis animalibus* coniunxerit, quae ea gubernarent quaeque ab iis non possent separari. Quod si igitur Celtae hominibus cultum diuinum exhibuerunt, quodnam quaeſo regnum nouis diis tribuerunt? aut qua ratione eos coluerunt? Certe in eorum religione ac doctrinis hac de re nihil habetur. Atque etiam hoc Celtarum opinioni contradicit, quam de fatis defunctorum habuerunt. Mortales enim, qui hac ex vita migrauerint, in maiori dignitatis gradu collocari negabant, quam humana conditio pateretur. Viros potius, fortitudine claros, ad supremum deum, seu Odinum venire putabant, apud quem omnibus bonis circumfluenter et eo voluptatis genere vterentur, quae viris fortibus potest accidere gratissima. Neque vero ratio longe petenda esse videtur, qui factum sit, ut viri doctissimi in eam opinionem adducerentur. Quum enim Celtae semper in armis essent, honestissimum apud eos

eos ducebatur; si aliis fortitudinis palmam praeterirent ac rebus gestis magnam gloriam adipiscerentur. Itaque simul ac de virorum clarissimorum rebus gestis fama percrebuerat, magnus iis, dum viuebant, ab omnibus honos habebatur, quumque mortem oppetissent, apud eorum sepultra festos dies celebrabant et ad cantus laudes eorum persequebantur. Ipsi cantus, a laude deorum initium capientes, herorum res gestas in memoriam reuocabant et in eorum honorem finiebantur. Juvenes cantus memoriae mandabant, quo facilius imitatione assuefacti olim facta ederent laude dignissima \*). Nos igitur non falli putamus, si, haec omnia opinionis stabilienda ansam praebuisse, adfirmamus. Quum præterea Thorus, ut supra demonstrauimus, non a *Thurra*, sed *Tarane* proficisciatur, sententia SCHEFFERI argumentis, modo enarratis, facile potest refutari. Aequem minus sententia eorum se se commendat, qui Thorii cultum a Thara, cuius in diuinis oraculis mentio fit, ducere conentur \*\*).

## XIII

ET SI vero annus, qui de Thoro, ante natum σωτῆρα nostrum in Europa culto, testaretur, indicari haud potest; hoc tamen verum exploratumque est, id multa secula ante natalitiam Christi esse factum. Quibus si haec addantur, quae supra diximus, Thorii cultum in regionibus

E

bus

\* de his vide PELLOV<sup>A</sup> TIERIUM bift. des Celtes T. II. lib. III. cap. XLI. viiij. iii. c. <sup>\*\*) confer SAGITTA RIVM. I. c.</sup>

bus, ad septentrionem pertinentibus, aliquot secula ante Christum natum initium cepisse, hinc facillime intelligi potest, Thorum nostrum deum esse longe antiquissimum. Sed magis certa sunt, quae ex iis scriptoribus probantur, qui rerum romanarum historiam reliquerunt. Ex hac quidem GRVTERI \*) inscriptione:

DEVM. DEARV SVEDIA. DORI D. S.
--------------------------------------

SAGITTARIVS \*\*) efficere vult, Thorum Romanis probe fuisse cognitum. In hoc autem errare mihi videtur ceteroquin doctissimus SAGITTARIVS. Etsi enim Romani Taranem, seu Iouem tonantem a Gallis, Germanis atque aliis populis coli, non ignorabant; de hoc tamen haud immerito dubitari potest, Romanos umquam aliquid de nomine Thoris audiuisse, aut illius nomen in inscriptionibus atque aliis monumentis publicis adhibuisse. Ac mea quidem sententia, quod in inscriptione SAGITTARIVS Thorum esse putat, hoc nomen familiae esse, non sine causa existimo. Quam sententiam ut corroborarem, eundem GRVTERVM \*\*\*) adduco, apud quem haec habetur inscriptio:

SVEDIAE. DORIDIS ET. SVEDI. D. L. COMMVNIS. L. MEORVM SYRVS. HIC. SITVS. EST. V. A. XIIIX.
--

Id

\*) in corpore inscrips. lib. 1. cap. 3. eidem  
\*\*) l. c. p. DCCCCX  
\*\*) antiquit. regn. Thuri. XXXXV. n. 154

Id quod complures aliae inscriptiones confirmant. Sic enim occurunt **IVLIA DORIS**:\*) **ASCONIA DORIS**:\*\*) **CALIDIA DORIS**:\*\*\*) **VLPIA DORIS**\*) ac denique **SEIA DORIS**.\*\*). Nos autem recte sentire ipsa inscriptio, a **SAGITTARIO** adducta, docet. Quis enim est, qui lapidem, in quo inscriptio insculpta est, fragmentum esse ac sine dubio litteram S deesse, non facili negotio videat? De cultu Thori tempore Romanorum, in primis quum **IVLIVS CAESAR** bella in Gallia gereret, testem habeo ipsum **CAESAREM**: \*\*\*) **deum maxime**, inquit, **Mercurium colunt**, post bunc **Apollinem et Martem et Iouem et Miueruam**. De his eamdem fere, quam reliquae gentes, habent opinionem, **Apollinem morbos depellere**, **Minervam operum atque artificiorum initia transdere**, **Iouem imperium caelestium tenere**, **Martem bella regere**. Iouem, qui rebus caelestibus praesit, non aliud esse, quam Taranem Gallorum ac Germanorum, viri doctissimi \*) iam probandum in se suscepérunt. Itaque non est, quod ea de re fuse exponam. Quamquam post natalitia Christi salutaris doctrina ubique terrarum adnuntiabatur; nihilo tamen minus

E 2

Ger-

\*) **GRUTERVS** I.c. MC. 4.\*\*) **IDEM** DCCXIX. 8.\*\*\*) **ID. CCCCLXXVIII.**

3.

\*) **ID. MCXIV.** 5.\*\*) **ID. MCXXIX.** 9.\*\*\*) **de bello Gall.** vi.

cap. 17.

\*) **WALCHIVS** com-  
ment. cit. p. 38-46. vbi,  
hunc Iouem a Ious Ro-  
manorum differre, ostendit.  
Conf. **PELLOV-**  
**TIERIVS** libr. mem. Tom.  
xi. p. 106. sq. coll. p. 121.  
sq.

Germani ac Galli superstitioni profanæ nuntium mittere recusauerunt. LVCANVS \*). enim, qui anno post natum seruato rem LXVIIA aetatis autem XXVII. decessit, de tota Gallo-rum natione scribit, eam Taranem sacrificiis humanis placare, et ara, deo Tarantueno dedicata, Thorum seculo secundo in Germania cultum esse confirmat. Circa seculum IIII. Thorus a Thuringis coli coepit, id quod usque ad seculum octauum durauit, quo Thuringorum plurimi a Christi adseclarum partibus steterunt. Neque enim omnes Christo nomen dedisse affirauerim, quin potius subsequentibus demum temporibus superstitionis monumenta penitus sublata fuisse arbitror. In regionibus, septemtrionem versus positis, cultus Thorum, quum vera doctrina progerminare inciperet, cessauit. Rex enim Sueciae Ericus seculo X. Canutus magnus autem, Daniae rex, seculo XI. ad religionem, cui nomen a Christo haeret, conuersi, verorum sacrorum expertum superstitionem irritam fecerunt. Neque eo secius plurium deorum cultus extirpari et funditus tolli potuit. In Iutia enim in dioecesi alburgensi lucus Thoris fuit, Thorsloef, id est, Thorslaub nuncupatus, qui usque ad annum CCCCCCXXXI. stetit \*\*). De cultu Thoris, in primis illius vicarii, qui Stor-iunkar dicitur, apud Lapponienses, euoluantur NERRETERVS \*\*\*).

XV

\*) 1. c.

\*\*) Iuden und Heyden-

\*\*) ARNIELIVS I. Tempel p. 957.  
c. cap. XXX. §. 8.

POSTQVAM de Thoro omnia , quae digna fuerunt, de quibus verba fierent, enarrauimus, restat, vt de conuiuiis sacris, in deorum atque etiam in Thori honorem peractis, agamus, quibus ea addemus , quae de *in signi* Thori, in antiquitatis monumentis longe celeberrimo, notari debent. Mos fuit non tantum Romanorum, sed etiam veterum Germanorum, vt in deorum honorem et amicorum defunctorum memoriam festos dies celebrarent. Ad quos faciendo quum dies esset prae scriptus, certo in loco conuenierunt et ea , quae ad cibum ac potum videbantur esse necessaria, ad portauerunt. Quo facto sacrificiis peractis, summa laetitia perfusi conuiua instituerunt. Haecce conuiua sacra vocabantur *Offergillen*, seu *Opfergilden*, quod quidem vocabulum *societatem*, seu *coniunctionem* indicare videtur \*). Hisce in conuiuiis pocula, diis atque amicis consecrata, in deorum honorem et amicorum memoriam exhauserunt. Eiusmodi conuiuii descriptionem apud S N O R R O N E M inuenimus, \*\*) qui euoluatur, quoniam ob angustos , quos commentationi nostrae destinauimus , fines non omnia, quae de conuiuiis sacris notari debent, adiicimus \*\*\*). Conuiuio sacro transacto, surgentes ad ignem, in medio admotum, steterunt, quumque pocula sibi in-

E 3 ui-

\*) de hoc ritu exponit  
S NORRO in Konung Olaf  
Helges Haraldsons Saga cap.  
113. sqq. confer. KEYS-  
LERVS antiquit. septentr.  
et Celt. p. 349. sqq.

\*\*) in Konung Hakon A-  
dalsteins Fostres saga cap. 16.  
\*\*\*) Multa, quae ad hanc  
rem pertinent, vide apud  
KEYSLERVM antiquit.  
septentr. et Celt. p. 352-356.

vicem porrigerent, cuilibet deo poculum singulari quodam signo consecrarunt. Hanc rem SNORRO\*) litteris consignauit, ex quo simul facile intelligi potest, quae dicti *insignis* Thoratio fuerit atque conditio. Verba SNORRONIS recitanda duxi, quorum sententia fere haec est: *primus*, inquit, *quum propinandus esset scyphus, sollempni sermone auspicatus est Sigurdus, consecratumque Odino cornu euacuavit ac regi mox repletum tradidit.* Ita rex, accepto poculo, crucis signo illud signauit. *Quod animaduertens Karus Grytingensis, ista quid sibi velit caerimonia, rogat, et numquid adhuc sacra victimasque gentiles auersaretur rex?* respondit Sigurdus Iarlus non admodum diffimili ratione, *qua ipsi, viribus ac robori consisi, numini Thoro consecrare soleant, etiam crucis figura, utpote Thoronis insigni, poculum suum signare maluisse regem.* *Quibus ita dictis, sedatum est circa vesperam tumultuantium murmur.* Quae quidem verba non ea tantummodo confirmant, quae de hoc ritu diximus, verum etiam insignis, quod Thoro tributum est, mentionem fieri videmus. Thoro autem non semper unum idemque insigne dederunt. Modo enim figura, crucis similis, modo malleus fuit, utrumque vero potentiam Thoris denotauisse videtur. Hoc enim, quod figuram crucis representat, nihil aliud indicari debet, quam fulmen, quod manu tenet, quo mortales punit, et unde sine dubio fabula orta est, qua certos lapides, quos Germani *Donnerkeile* vocant, quum ful-

men

\*) *in vita Haquinii Adalstani cap. 16.*

men iacitur, in terram penetrare creditur \*). Hocce insigne autem, ni fallor, probat, Thorum fuisse Iouem tonantem. Praeter hoc insigne aliud in antiquitatis monumentis exstat, quod Thoro saepissime datum est, malleus nimirum, qui *miolner* dictus est, omnibus, in primis autem gigantibus atque *daupovloq* terribilis \*\*). Pleni sunt hoc malleo omnes veterum scriptorum libri, praecipue *Edda*, vbi res gestae Thoris numquam nominari solent, nisi etiam mallei, quo eas peregit, mentio fiat. Quae etsi omnia ficta atque a veritate remota sunt; de potentia Thoris tamen, qui omnium deorum potentissimus habebatur \*\*\*), manifeste testari mihi videntur. De malleo Thoris vide *Eddam*, omnibus in locis, vbi de Thoro sermo est, *SAXONEM GRAMMATICVM*, \*) *FABRICIVM*, \*\*) *de malleis Iouialibus* autem, quorum reliquiae anno C I O C X X X I I I I . in Suecia repertae sunt, cumdem *SAXONEM GRAMMATICVM* \*\*\*).

## XVI

ANTEA, quam commentationi nostrae finem imponamus, paucissimis de religione veterum Germanorum fabulosa, quantum ad Thorum explicandum necessarium est, differri nobis posse videtur. Omnia vero, quae hanc in rem adducemus, ex *Edda*, summae antiquitatis monumento, desumpta sunt. Duodecim deos dari putabant,

qui

- \*) *KEYSLERV* I. c.      \*) *bif. Dan. lib. III. p. 41.*  
p. 196.                         \*\*) *Cimbrische Hollstei-*
- \*\*) *Edda mythol.* 18.      *nische Antiquitaeten-Remar-*  
*OLAVS MAGNVS*      *ques p. 332. sq.*  
*bif. Suec. lib. III. cap. 3.*      \*\*\*) *I. c. lib. XIV.*

qui *Aſae* vocabantur, quorum *Odinus* supremus et antiquissimus et pater *Aſarum* sit, qui omnia regat atque gubernet, et sub cuius imperio omnes reliqui essent. Hinc dictus est *Allfader*, quasi pater omnium *Aſarum*. Coniux dicebatur *Frigga*, seu *Freya*, et *Thorus* *Odini* filius reliquorumque *Aſarum* praecipuus esse putabatur. Non solum autem *Thorus* imperii in *Valballam* particeps factus est, sed illi etiam regnum veteres tribuerunt, cuius nomen fuit *Tbrudvangar*, aula vero *Bilskirnir* adpellata est. Aula, in qua 10XXXXX. contignationes fuerunt, ab hominibus eam ob rationem exstructa fuerat, ut *Thorus* manes et in primis seruos in eam recipere. *Odinus* enim dedecori sibi esse putabat, ultimae sortis homines suo subiecti imperio. Curus *Thori*, quo uestus et a quo *Ockutbor* nominatus est, a duobus capris trahebatur. Tribus insignibus uestus est, malleo, de quo supra, cingulo, seu clypeo et manicis ferreis, quibus opus fuit, si malleum apprehendere vellet. Dicitur autem *Thorus* tartarei serpentis oppugnator, quem quidem vicit, sed vulnera, quod in pugna accepit, venenato mortuus esse traditur. De rebus gestis fuse agere possemus, sed iamiam institutio ratio, finem dicendi facere, iubet. Fabulas autem, quas veteres de *Thoro* effinxerunt, ubi quis legere cupit, adeat ille *Eddam*, \*) in quo libro eas quam copiosissime reperiet enarratas.

\*) myth. 18. 19. 38. 39. 41. 42. 48. 56. 57.

#### ERRATA

- p. II. lin. 21. leg. possimus.
- p. 12. lin. 30. leg. comprehendebantur.
- p. 18. lin. vlt. leg. nomina.
- p. 24. not. 3. leg. Heyden-Religion.
- p. 29. lin. 7. leg. sceptri.
- p. 32. lin. 2. del. fuit.
- p. 32. lin. 17. leg. statu.

Hb 4567


Nur für den Lesesaal!

ULB Halle  
007 417 527

3










B.I.G.



DEO  
TH ORO  
COMMENTATIO  
QVAM  
EDIT  
IO.GOTTLOB.SAM.SCHWABE

VINARIENSIS  
SANCTIOR. ET ELEGANTIOR. LITTERARVM  
CVLTOR. SOCIETATIS LATINAЕ, QVAE  
IENAE FLORET, COLL. ORDINARIVS



IENAE  
SVMTV IO. CHRISTOPH. STRAVSSII  
CICICICLXVII.

